JUSTI FONTANINI

FOROJULIENSIS

IN ROMANO ARCHIGYMNASIO
Publici Eloquentiae Professoris

VINDICIAE ANTIQUORUM DIPLOMATUM

Adversus

BARTHOLOMAEI GERMONII

DISCEPTATIONEM

De veteribus Regum Francorum Diplomatibus & arte secernendi antiqua Diplomata vera a falsis.

LIBRI DUO.

Quibus accedit veterum Actorum appendix.

ROMAE MDCCV.
Per Franciscum Gonzagam in area sancti Marcelli ad viam Cursus.

PRAESIDUM PERMISSU.

Didiceram nec eo debere videri aliquid verum dici, quia eloquenter dictum; nec eo falsum, quia incomposite.
S. August. Confess. lib. v. cap. vi.

AD SANCTISSIMUM ET MAXIMUM

PONTIFICEM
CLEMENTEM XI

JUSTI FONTANINI

PRAEFATIO

In Vindicias antiquorum Diplomatum.

QUUM exterarum, & praecipue borealium gentium in Italiam provinciarum omnium nobiliſ-

Didiceram nec eo debere videri aliquid verum dici, quia eloquenter dictum; nec eo falsum, quia incomposite.
S. August. Confess. lib.v. cap.vi.

AD SANCTISSIMUM ET MAXIMUM

PONTIFICEM
CLEMENTEM XI

JUSTI FONTANINI
PRAEFATIO

In Vindicias antiquorum Diplomatum.

QUUM exterarum, & praecipue borealium gentium in Italiam provinciarum omnium nobilissimam

simam & potentissimam irruentium colluvies infinita mala & incommoda post Romani imperii dignitatem labefactatam, atque convulsam, in nostros majores invexerit; hoc gravissimum, meo quidem judicio, existimandum est, Sanctissime CLEMENS, quod omnia vastando, & ruinis obruendo, illustria veterum scriptorum monumenta aboleverit, & barbara feritas per multa saecula, domo sua procul politiores musas sinu & capillis laniatas exsulare compulerit. Propterea apud eosdem majores nostros densa ignorantiae nocte ubique incubante, quod olim deflevit in epistola synodica ad Constantinum Pogonatum Imperatorem maximus Christianae religionis Pontifex Agatho, cujus modo Sedem inclytis aeternumque admirandis virtutibus a te amplissime occupari omnes laetantur; inde etiam contigit, ut non solum innumera, eaque insignia scripta la-

cry-

crymabiliter tota interciderint; ſed & vix ulli reperti ſint, qui pro dignitate aut illorum, aut ſubſequentium temporum vices literis mandare ſtuduerint. Magno huic detrimento praeclare ſe conſulturos, optimeque apud poſteros acturos viri in Republica eruditorum dignitate principes facile crediderunt, ſi hinc inde publicas & privatas contractuum & donationum tabulas, quae veluti ex luctuoſo naufragio forte fortuna ſupererant, e vetuſtatis parietinis egererent, unde inferioris aevi annales, conſuetudines, ritus, mores, eccleſiarum faſtos, Pontificum ſeries, Principum geſta, & temporum doctrinam, incredibili rei literariae emolumento, noſtra & patrum memoria inſtaurari conſpeximus. Sed vix tantis cladibus per ſumma ingenia conſuli coeptum fuerat, quum duplex natio priori illa exitialior reſtitutis ejusmodi antiquitatis ruderibus novum

vum

vum bellum indixit. critici enim munere ſuo praeſtantiſſimo abutentes dirum judicium ubi minime oportuerat, audacter nimis exercentes, veris perinde ac dubiis tabulis diem & ſententiam dixerunt: alii vero in jis dijudicandis arbitri parum apti & periti, omne pretium, omnemque auctoritatem jis a ſe minime expenſis, ideoque contemptis, in dies palam abrogare non dubitant, cauſſis ſane nunc primum per ipſos excogitatis, nec pridem unquam in literatorum Senatu exauditis: quas nuperrime trans Alpes ſpecie diverſi conſilii in unum collectas, ne in ſacras illas poſtremae vetuſtatis exuvias etiam apud noſtrates Italos pernicioſe graſſari ego conſpicerem, eas peculiari ſcripto excutere decrevi, & excuſſas tibi inſcribere, CLEMENS ſapientiſſime. haec enim tua laus eſt, qui omnium rerum ſcientiam mirifice conſequutus, & univerſam antiquita-

tem, & exemplorum vim tenens, literarum omnium es Maecenas, & princeps, unde eorum, qui ſtudiis doctrinarum dediti ſunt, ſcripta omnia jure quodam tuo tibi vendicas. Et merito quidem. tu enim habitu naturae prope divino inſtructus poſt hominum memoriam jis artibus maxime adolevisti, quarum merces immortalitas eſt; & diverſa omnino felicitate ab ea, qua ſuperiores uſi fuerunt, neque longe diſſita loca luſtrans, neque maria tranſmittens, in hac arce Chriſtiani orbis & luce omnium gentium, quod difficillimum eſt, ad quaeſitam verae laudis adoream egregie excitatus, ſummam virtutem non tam ſcriptis, quam vita tanto ſtudio aluiſti, ut unus inter plurimos is habitus fueris, quem in magnis rerum anfractibus & periculoſiſſimis Europae temporibus longe ampliſſimi Collegii antiſtites incredibili animorum conſenſu ob unam ejusdem

tuae virtutis opinionem, ſacrorum Principem, omnium gentium laetitia, praeterquam tua, ſplendidiſſime renunciarent: in quo rerum omnium faſtigio conſtitutus, ſi alios antea, modo te ipſum vincis omni genere laudis, dum non ſolum exſpectationem mortalium de animi, & conſilii tui magnitudine ſuſtines, ſed etiam ita multis rebus adauges, ut commoda iis longe majora nos conſequutos fateamur, quae ex hac tanta tua fortuna ſperari poterant. Idque ea aetate, qua non multis idem ante contigerat auſpicatiſſime, & divino plane conſilio factum eſt, quo ſcilicet longiorem vitam agens omnibus malis per pravos religionis interpretes allatis ſumma prudentia tua medereris, nosque ab univerſis difficultatibus expeditos, animo & votis vix ante concepta, nedum ſperata felicitate complecterereris; unde Apoſtolicae rei majeſtas diutius per

te

te ſervata, & tibi creditus terrarum orbis novis beneficiis per te cotidie cumulatus, gloriam tuam inſignem, & ad perennitatem memoriae ſtabilem laude & honoribus amplificarent. Atque haec fere omnia in dies magis atque magis conſequi videmus. omnino enim maxima imperii tui dignitate & religionis veterem auctoritatem ſancis: pro qua augenda & firmanda inſtructiſſimas expeditiones in ultimas mundi partes miſiſti; & populis tuis bellorum fremitu circunſeptis optatiſſimae pacis dulcedinem, & literatis honeſtum ocium ſapientia tua providentiſſime paris: ejus potiſſimum rei ſollicitus, ut quantum in te eſt, Europa horrendis motibus concuſſa, & potentiſſimorum Principum diſcordiis attrita, ad officiorum omnium conjunctionem revocetur, & tandem foedere ſociata in unum nomen jucundiſſime coëat. Licet vero ex his omni-

bus universae Christianae Reipublicae, quam geris ductu, imperio & auspicio, uberrimos & suavissimos fructus adferri conspiciamus, quorum te summum auctorem summis laudibus & agnoscimus & praedicamus; nihilominus dictu quamdifficillimum arbitramur utrum ob felicitatem quam nobis peperisti longiori memoria sis celebrandus; an vero quod judicio, linguaque princeps in rerum omnium clientelis confirmandis, & fovendis, praecipue literarum, quae te Pontifice longo intervallo coli coeperunt, in earundem studia magnam cogitationum & curarum partem transferens, semper excellueris. Illa etenim laus etiam aliis, qui tibi praeiverunt domestica fuit. talem enim pacis universorum decet esse parentem. At haec posterior tota tua est, tuique unius divini ingenii, & consilii propria; atque eo admirabilior, quod superio-

ribus

ribus ſaeculis iis tantum, qui omnium rerum, atque artium rationem, naturamque comprehenderunt; quibus cum tu ad certamen laudis, omnium ſententia victor progrederis, communis fuit. Etenim poſt ſuſceptam curam maximi Sacerdotii, in ſacris literis divinitus conſtituti, ut doctrinarum ſinceritas, & nitor intemeratus conſervaretur in hac omnis diſciplinae elegantioris olim altrice & parente, nunc vero divinorum inſtitutorum cuſtode ac praeſide Urbe, ad Pontificii Archigymnaſii celebritatem, per ſanctiſſimos deceſſores tuos bono rei Chriſtianae munificentiſſime exſtructi, oculos advertiſti, per ſupremum ejusdem Cancellarium Johannem Baptiſtam Spinulam Cardinalem, cujus integritati & conſilio tua ſapientia debitum honorem tribuit, in id potiſſimum incumbens, ut, quos omni diligentia & officio tueris publicos inge-

nuarum artium doctores, quibus me ultro accensitum voluisti, in spem certissimam ingrederentur pristinum decus postliminio recuperandi, disciplinasque e superiori loco in animos Romanae juventutis cum dignitate disseminandi: unde tam in nostris, quam in longinquis, & a nobis religione & situ maxime avulsis terrae locis, ubi legitimus Dei cultus intermissis optimis ritibus obsolevit; atque ab alienissimis gentibus tibi, ut virtutum omnium vindici, & literarum assertori & parenti, honoris aras non modico Pontificiae majestatis incremento, oculis nostris nos ipsi in dies gratulabundi cernimus collocari; dum ex iis multi tuis adducti gravissimis consiliis & factis ad Urbem rerum dominam confluunt, omnesque tuas curas aeterna in laude versantes eo mirabundi spectare vident, non ut in angustum paucorum annorum curricu-

lum,

lum, quaſi in comparatum & conſtitutum ſpacium, tuae fructus magnificentiae cogi videatur; ſed ut latiſſime patens ad infinitam ſaeculorum poſteritatem propagetur. Quin etiam auctoritate, quae te circunſtat, noctes atque dies verae & nunquam interiturae laudis commonitus, e ſacrae Sedis auguſtiſſimo pulvinari ingenia latinorum ad decus, & liberalium doctrinarum ſtudia, quae te talem tantumque fecerunt, ſupremo exemplo tuo excitare non deſinis. Quapropter hanc lucubrationem, qua veterum tabularum ſinceritatem, atque annalium fidem iiſdem innixam pro virili mea vindicare contendi, privatis meis, publiciſque eruditorum iis nominibus tibi deberi intellexi, quibus ego per te honorifice auctus, & quibus ſtudioſi omnes vigiliarum ſuarum, & ingenii monumenta tibi deberi profitentur: qui quidem ut te praeſente quam diu-

tiſſime

tiſſime perfruantur non modo optant, ſed etiam pro ſumma Dei erga nos beneficentia futurum confidunt, quum tibi optare perpetuam vitam idem ſit ac ſibi optare veram & perpetuam felicitatem. Et mihi ſane prae omnibus id a ſuperis deprecandum, cui in tua eximia munificentia nixo datum eſt pacatiori ingenio attingere dulcedinem literarum; praecipue vero quum mihi tanta exſquiſitiſſimorum librorum ſupellex praeſto ſit, quantae eruditorum omnium commodo a ſe liberaliter comparatae me praeeſſe voluit Joſephus Renatus Imperialis ſpectatae virtutis, atque excelſi animi Cardinalis, cujus maxima laus eſt a te magni aeſtimari. Tu interim optime PONTIFEX quando jam hoc mentis tuae amplitudini tribuiſti, ut quicquid circunſertur literarum nomine inſignitum hilari vultu & magnanimo excipias, tribue idem, ut hanc quantulam-

cunque

cunque laborum meorum partem, tanquam meae tibi devinctissimae voluntatis argumentum sub tuos obtutus venire permittas; ejusdemque tenuitatem a clementiae tuae magnitudine sublevari. nulla enim alia ratione majorem illustrioremque commendationem illi curare poteram, quam si in tui nomine apparuisset, in cujus summa potestate bona humani generis pars conquiescit.

Dabam in Urbe tua pridie kalendas Majas anno MDCCV. sessionis tuae V.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſs. Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dominicus de Zaulis Epiſc. Verulanus Vicesger.

Librum, cui titulus *Vindiciae Antiquorum Diplomatum adverſus Bartholomaei Germonii diſceptationem*, auctore V.C. Juſto Fontanino in Romano Archigymnaſio Eloquentiae profeſſore digniſſimo, a me Reverendiſs. Patris Paulini Bernardinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri juſſu perlectum, dignum cenſeo, qui typis edatur, utpote omnigena eruditione refertum, nihilque continentem, quod fidei bonisque moribus adverſetur. Romae die 1. Aprilis 1705.

Laurentius Alexander Zacagnius Vaticanae Bibliothecae Praefectus.

IMPRIMATUR,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Praedicatorum Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter.

IN-

INDEX CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

Scriptionis occasio 1

CAPUT PRIMUM.

Diplomaticae Disceptationis scopus ab antiquitate & summorum virorum consensu quammaxime alienus 4

CAPUT II.

De Archivis & Tabulariis ecclesiarum & monasteriorum, quibus Chartae sequioribus saeculis custoditae ad nostram usque aetatem pervenerunt 13

CAPUT III.

Genuina & vetustissima autographa in papyro Aegyptiaca, in cortice & in membranis adhuc servata. Alia diplomatum, alia librorum edendorum consuetudo. Plura ejusdem tenoris autographa instrumenta olim conscripta. Codices emendati a viris dignitate clarissimis. Donationes scripto confirmatae etiam apud Ripuarios.

Notitiae saeculo undecimo usitatae. Donationes monasteriis factae 29

CAPUT IV.

Leges Chlotarii & Ludovici Pii perperam a Germonio explicatae. Cur veteres chartae aliquando pessundatae. Earundem pretium & usus. Chartae ecclesiae Remensis. Diplomata Forojuliensia 46

CAPUT V.

Maxima diligentia adhibita contra falsarios, & poenae iisdem inflictae. Diplomata spuria ex antiquitus confictis nulla superesse ostenditur 58

CAPUT VI.

Germonius nullam artem tradit vera diplomata secernendi a falsis. Mabilloniana unde eruta. Autographa Dagobertinis antiquiora adhuc supersunt. Anachronismus chartae Lindaviensis Ludovico Pio Imperatori adscriptae 66

CAPUT VII.

Linguae latinae propagatio. Austriae & Neustriae in Galliam & in Italiam appellationes intro-

introductae. Francorum & Langobardorum lingua & characteres Teotisci. In Gallia uno tempore lingua Francica, Latina, & Teotisca. Natale solum Caroli Magni. Varia characterum Romanorum fortuna. Attilae studium in Gothica lingua propaganda. Anuli Childerici Regis, & monetarum Franciae inscriptiones 74

CAPUT VIII.

Antiquitus duplex character, quadratus, & minutus. Galli post adventum Francorum duplici item charactere usi. Scriptura diplomatica diversa a literaria: item ab usuali. Merovingici characteres Romanis immixti. Scriptura Francogallica unde dicta. Codex Gregorii Turonensis. Quid scriptura Barbarica. Codex Corbejensis sancti Hieronymi & Gennadii. Scriptura Langobardica similis Merovingicae. Libellus Rufino adscriptus de Fide Catholica. Charta Ravennas apochae plenariae securitatis scripta charactere Gotbico, non Langobardico 91

CAPUT IX.

Stilus forensis semper inelegans. Vitia orthographiae quomodo a barbaris inducta? Vox Gravio *varie pronunciata. Orthographiae & literarum com-*

commutationes unde ortae. Elegantia & barbaries linguarum ex sono pronunciationis derivatae. Imperitia notariorum. Cassiodorus, Isidorus & Priscianus in alienum sensum detorti 100

CAPUT X.

Diplomatum barbaries, eorundem sinceritatem prodit. Tabelliones in gratiam vulgi diplomata conscribentes plebeis idiotismis usi. Gregorii Magni oratio cum ceterorum illius temporis stilo neutiquam comparanda. Cur in Provinciis latinitas sequiori aevo desierit. Soli clerici tunc docti, laici vero literarum ignari. Sermo rusticus usque ad Carolum Magnum in Galliis obtinuit. Lingua latina propria Romanae ecclesiae. Sermonis rustici specimina ex lapidibus prolata. Rudium scripturarum pretium. Dado Referendarius historiam scripsit alio stilo atque diplomata. Gregorii Turonensis sermo rusticus. Marculsi editio Baluziana omnium accuratissima 116

CAPUT XI.

Aetas Anonymi Sandionysiani, qui scripsit Gesta Dagoberti I. Ejus maximi errores, & levissima auctoritas. Propositum Jacobi Doubleti in historia Sandionysiana 135

LIBER

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

DOnationum pro animae remedio *antiquitas contra Claudium Fauchetum. Sinceritas chartae Dagoberti I. Clippiaci conscriptae. Nomen Dagoberti varie prolatum* 145

CAPUT II.

Praeceptum Chlodovei II. minus recte a Sirmondo emendatum. Immerito in suspicionem vocatum a Gerardo Duboisio; & interpolationis vitio notatum a Cointio. Subscriptiones absque recensione sedium aliquando ab episcopis factae. Sigebertus III. Rex Austrasiae quo anno diem obierit. Radobertus Majordomus sub Chlodoveo II. 153

CAPUT III.

Praeceptum Chlodovei II. & Nantechildis ejus matris cur falsitatis insimulatum. Olim subscribentium nomina aliena manu adnotata. Viri nobiles, & principes scribendi imperiti. In diplomatibus subscriptionem suam cruce, vel alio signo indicabant. 161

CA-

CAPUT IV.

Placitum Chlodovei II. pro Laudesio filio Erchinoaldi Majorisdomus. Idem Erchinoaldus fuit Majordomus in Neustria, in Burgundia, & deinde in Francia universa 171

CAPUT V.

Instrumentum Chrotildis matronae quando exaratum. Ex Cycli Victoriani periodo Chlodovei II. & Chlotarii III. epocha educta. Antonii Pagii sententia timide excepta 174

CAPUT VI.

Latiniacum a Theoderico III. Sandionysianis diplomate regio concessum. Quaedam in eo vindicata. Berthanius Majordomus occubuit post praelium Textricianum 182

CAPUT VII.

Acta Theoderici III. & Childeberti III. ejus filii praecepta ad examen vocata, & asserta. Vestis conscissa in exauctoratione episcoporum 189

CA-

CAPUT VIII.

Droctoveus abbas primus sancti Vincentii, cui ex intervallo successit Authbarius. Vitae ejusdem Droctovei auctor Gislemarus saeculi decimi scriptor. Aimoinus Floriacensis male cum Sangermanensi confusus. Autharius vixit sub Theoderico III. & Childeberto ejus filio, non vero sub Childeberto seniore. Basilica sancti Vincentii Parisiensis sub Dagoberto I. dicta sancti Germani 193

CAPUT IX.

Abbatum, abbatissarum, & monachorum testamenta. Sigillorum imagines arbitrariae. De initio regni Pippini, & de anno ejus unctionis variae sententiae discussae. Inaugurationis Pippini per Zachariam summum Pontificem plenissima assertio, & vera epocha ejusdem Pippini. Lis de die illius emortuali 200

CAPUT X.

Diplomata duo Carolomanni cur non integre a Mabillonio vulgata. Salmonciacum locus in Austrasia prope Laudunum. Chlodoveus III. dictus etiam Chlotarius. Nonnulla binominum exempla 212

CA-

CAPUT XI.

Voces serenitas, & regalis *Carolo Magno longe antiquiores. Expeditiones Caroli contra Saxones, & Rodgaudum Forojuliensem Ducem anno suo restitutae. Ejusdem mora in villa Carisiaco. Comitia & conventus publici veterum Francorum* Campus Martii & *deinde* Maii *appellati. Reinesii, & Rivini opiniones non probatae. Bellarminus a Cointio inique habitus. Campus Roncaliae. Campus Maii bis, & ter quotannis indictus. Vocatus etiam* Placitum, Synodus, Mallum, Colloquium, Parlamentum, Curia, Curtes, & Cortes 218

CAPUT XII.

Diplomata sine die, mense, & anno aliquando concessa. Gisla sanctimonialis soror Caroli Magni interdum egressa ex parthenone Kalensi. Paulinus Patriarcha Aquilejensis primus omnium vetuit virgines Deo dicatas e monasteriis exire. Quatuor epochae Caroli Magni. Ex unis chronologicis notis diplomata non continuo rejicienda. Difficultas ex notis chronologicis Concilii Tridentini duplici stilo conscriptis. Error in editione Coloniensi. Alia difficultas ex subscriptione Bullae Pii IV. pro confirmatione Concilii 237

Appendix actorum veterum 253

VINDICIAE
ANTIQUORUM DIPLOMATUM
ADVERSUS
BARTHOLOMAEI GERMONI
DISCEPTATIONEM
De veteribus Regum Francorum Diplomatibus, & arte secernendi antiqua Diplomata vera a falsis.

LIBER PRIMUS.
Scriptionis occasio.

Ad nobilissimum & ornatissimum Abbatem
DOMINICUM PASSIONEUM
FOROSEMPRONIENSEM.

I. IDentidem, DOMINICE, singularis tua erga me benevolentia, & de meis, quantulaecunque sunt, literis opinio facit, ut percontari a me soleas quid vere ego sentiam de scripto, quo nudiustertius Bartholomaeum Germonium, eruditum quidem illum & disertum, licet, ut plerisque videtur, non tam suae gravitatis, quam

ingenii memorem, in alienas possessiones praeter omnium eruditorum exspectationem, & votum irruentem adspeximus; nempe in absolutissimum, & ubique splendide exceptum opus de re Diplomatica, quod ante annos tres & viginti Johannes Mabillonius vir sapientissimus, & nunquam nisi honorifice nominandus, post immensos ingenii sui prope admirabilis, & vigiliarum exantlatos labores, in dias luminis oras eduxit, unde omnium gentium non barbararum applausu literaria supellex amplissime aucta est. Et quanquam ego, cui per se grave est semper scribendi munus, sed tum gravissimum, quum a me maxime postulatur, quod sim mihi optime conscius quam ingenio mediocri vigeam; rem molestae aleae plenam esse reponerem auctores magnis contentionibus claros in judicium vocare, ita ut extorta voluptas, cujus lenocinio lectoribus suis blandiebantur,

Et demptus per vim mentis gratissimus error,

nihil inde supersit, quam novarum sententiarum conatus elegantium verborum phaleris involutus; tu nihilominus dictis non adquiescens, haec me obtendente rursus instare, Germonium fateri, *non amore contentionis, aut malevolentia aliqua, sed solo investigandae veritatis* desiderio incensum, Mabillonio ad graviores curas properanti se hanc moram injecisse, eamque publicis literis consignasse, ut, quas interserit dubitationes solverentur, si

fluxae,

fluxae, ne ſubinde ceteris fucum facerent: quare, ſi ille cauſſam ſuam peroravit, modeſto & circunſpecto judicio, quemadmodum de ſe teſtatur, ſibi licere putans de magno auctore pronunciare; nunquid reliquis, ajebas ipſe, interdictum aequa lance Germonii ratiocinationes omnem rem Diplomaticam uno ictu invadentes librare, & quid de ipſis cenſendum ſermone aperire?

II. Hinc ego quanquam ex tua in me quidem egregia voluntate ingenioli noſtri vires nunquam penſitare conſueverim; tuae tamen in me auctoritatis pondere preſſus, quam negligere fas mihi eſſe non puto, calamum tandem arripio, Germonianae Diſceptationis apices ad examen revocaturus: quo quidem munere tu aptius fungi exiſtimari poſſes, utpote qui memoria & ingenio plurimum valens, in ipſo adhuc aetatis flore bonarum literarum ſtudiis expolitus, in Urbe, quae una in omnibus terris domicilium eſt virtutis, imperii, & dignitatis, praeclaram de te exſpectationem concitaſti; nequid interim dicam de morum elegantia, atque animi tui candore & comitate, quibus mentis & naturae praeſidiis munitus, ad gloriam, non quidem caducam illam & perituram, a qua, ut ſtrenuam & liberam indolem decet, ſummopere abhorres; ſed veram & immortalem, tibi ampliſſimam viam ſternis: quod quidem eo libentius de te praedico, quod ſcio me judicii, non neceſſitudinis teſtimonium dare.

CAPUT PRIMUM.

Diplomaticae Diſceptationis ſcopus ab antiquitate & ſummorum virorum conſenſu quammaxime alienus.

I. UT ergo rem ipſam ingrediar, non propriam laudem, neque alienam vituperationem, a quibus ipſe longiſſime abſum, ſed veritatem venando, quam Germonius non eſt aſſequutus, etianſi non lateret in puteo; nollem mediusfidius univerſi ejus libelli non ultima dos ea eſſe videretur, ut ſpecie aliud agentis putaretur in id potiſſimum incubuiſſe, ut evinceret, in celeberrima illa arce pietatis & doctrinarum apud Gallos, coenobio inquam ſancti Dionyſii, officioſis quibusdam fraudibus praediorum dominium apud eccleſiarum Antiſtites, & Galliarum Monarchas obtrudere juſto ſacramento licere creditum fuerit: quorum deinde ſubleſtae fidei teſtium cardine univerſam rei Diplomaticae molem vel fucum imprudenter ipſe paſſus, vel ceteris facturus, circunvolvi conſulto voluerit Mabillonius. Abſit ut hanc invidiam religioſo Diſceptatori ego temere im-

impingam, dum illam a se procul ipse amoliri studuit, in vestibulo operis sui non obscure se Mabillonio quandam vicem talionis quasi jure foederis socialis rependere professus: sicut enim ei licuit de re Diplomatica disputanti, sine ulla Papebrochii offensione Papebrochii sententias aliquando repudiare; haud secus sibi volupe esse Germonius objicit Mabillonio pro arbitratu suo tanquam obsignatis tabellis litem intendere.

II. At, ne tibi cucurbitas pingam, ego nequidem Attalicis conditionibus vellem hic pro Germonio fidejussor interpellari, ne & ipse Mabillonianii voluminis fulgore quasi perstrictus, colore fucato, ut olim Lupus Aesopius, tanti jurgii caussas crederer adumbrare voluisse: quippe si Mabillonius a Papebrochianis sententiis longe lateque discessit, id non egit quicquam addens ambitiose, neque ut Scriptori doctissimo & in sacra antiquitate nonnisi paucissimis comparando contumeliam diceret, ejusque lucubrationes quasi lectu indignas ab eruditorum manibus avelleret, quas e contrario ubique omni laude cumulavit: verum de Chartophylacio Sandionysiano, non extra oleas, ut ajunt, sed in proprio opere & loco tractans, quum sinistris conjecturis & praejudiciis a Johanne Launojo, scriptore seu verius sarcinatore audacia sua satis famoso deceptus laudatissimus Hagiographus, tanquam falsariorum & fabularum officinae Chartophylacio aeque ac coenobio

bio quandam infamiae notam inurere visus fuisset; quunque ignominia Benedictinae familiae conflata voluntaria oblivione conteri neutiquam posset; ne viri in literaria Republica amplissimi nominis auctoritas invidiosae censurae aliquid ponderis adderet Mabillonius vehementer dubitans, contra celeberrimi Scriptoris jacula pro suis concellitis, in hoc quidem summe laudandus, umbonem opposuit; & momenta, propter quae coenobium Sandionysianum invaserat, ut magnum virum de magno viro loquentem decebat, caduca & ficulnea esse; atque eximium alias auctorem humani nonnihil passum fuisse monstravit. quod subinde Papebrochius vir candidus & veritatis amantissimus non modo aegre non tulit, sed per epistolas suum ea de re quasi magno beneficio obstrictissimum animum Mabillonio gratulabundus significavit, eique literarios fasces ultro submisit. Utque facinus memorandum, & immortalitate dignissimum toti orbi palam constaret, & ad seros nepotes etiam transmitteretur, ipsemet rem vulgavit in Responsionibus ad Sebastianum a sancto Paullo: unde profecto ejus nomini ingens gloriae accessio facta est. Scilicet viris doctrinarum & virtutum laude praestantibus is veri amor inest, ut errores dissipari, non ali & augeri cupiant. Et sane non dispari modo,

Si licet exemplis in parvo grandibus uti,

olim mecum egit ipsemet Mabillonius; in cujus, vel

vel potius in Michaelis Germani Dissertatione de Palatiis Regum Francorum, quae prostat inter Diplomaticos libros, quum Ratisponense ceteris addendum in quadam lucubratione typis vulgata obiter indicassem; summus auctor, quae ejus modestia & humanitas fuit, tantum abest, ut animadversionem nostram despexerit, ut cum grati animi significatione per magni nominis virum Antonium Magliabechium, literis promovendis, & literatis juvandis natum, ultro me certiorem effici curarit, a se aequi bonique consultam.

III. Quare si in ipso limine eruditum Scriptorem deficientem deprehendimus, & non leviter quidem, dum ejus caussae patrocinium se suscipere simulat, quam Papebrochius ultro despondit; quamque penitus jugulatam, sine proprii nominis labe, & eruditorum omnium stomacho nunquam ipse sciens prudens rursus excitari pateretur: hinc tu qua excellis mentis acie judica num raro titubaverit in itinere; in quo dumis & salebris suis involutum pro modulo nostro exstricare conabimur: quod ipse non semel in sua Disceptatione deprecatus est, pollicitus veritatem ubi *dissipata, qua involvitur caligine*, retecta fuisset, *lubenter se toto pectore amplexurum*: quanquam, ut vere dicam quod sentio, vix quicquam oggerat, quod tanto ante non refutaverit Mabillonius: cujus scriptum relegens censorias Germonii notas pulvere & vento le-

leviores esse quisque vel invitus fatebitur. Quid porro dictu & auditu molestius usquam occurrit iis, quae studiose congerit capite primo, ubi ait se non facile adduci, ut credat autographa superesse instrumenta saeculi sexti, septimi, octavi, atque, ut alibi addit, etiam noni: hoc creditu difficillimum, hoc a Mabillonio probari debuisse? Quum enim antiqua diplomata scripta fuerint in papyro Aegyptiaca, in cortice & in membranis, quae corpora fluxa sunt & caduca; quomodo temporum injuriis resistere potuerint, ut mediis barbaris & ruinis elapsa ad nos usque pervenerint, hoc sibi minime perspectum semel atque iterum Germonius exaggerat. Scilicet legitima diplomatum Mabillonii auctoritas corruet, si ipse unus mente non capiat qui per tineas, blattas, & pulverulentas sordes ad nos usque devenerint.

IV. At forte potiori ratione alii mente non capient qui fieri potuerit, ut suprema capita & literariae Reipublicae optimates Antonius Faurus, Carolus Cangius, Antonius Wion Herovallius, Stephanus Baluzius, & Johannes Baptista Cotelerius; quorum acerrimum judicium Mabillonius in subsidium se accersivisse testatur libro tertio capite secundo; quique omnes aliique primae classis togati viri eas *venerandae antiquitatis reliquias osculati sunt, & calculo suo comprobaverunt*, Germonii mentem ultro nimis incredulam in rectam sententiam

tentiam trahere nequiverint. Verum non uni monasterio Sandionysiano parum aequus & bonus est praecipiti scripto Germonius, sed universis probatissimae fidei veterum chartarum contrectatoribus, iisdemque tabulariis, ubi antiquissima hujusmodi autographa hactenus integra adservari didicimus: prae quibus jure nominandum venit sanctae Apostolicae Sedis Vaticanum Archivum, ubi inter alia servatur diploma Leonis IV. in cortice scriptum, cum bulla plumbea adhuc pendente. Huic merito succedaneum venit monasterium sancti Benigni Divionensis, ubi pontificia diplomata duo in cortice scripta adhuc supersunt; quorum unum est Johannis Papae V. alterum Sergii I. quos inter Pontifices unus Cono medius labente saeculo septimo intercessit.

V. Praeterea Germonius transverso oculo tueri videtur celebre Corbejense Archivum, ubi duo privilegia in papyraceo cortice scripta, unum Benedicti Papae III. alterum Nicolai I. hactenus extant: ex quibus autographis primum tomo sexto Spicilegii pag. 397. vulgavit Lucas Dacherius, in antiquis schedis evoluendis exercitatissimus; alterum vero magnus Sirmondus tomo secundo Conciliorum Galliae pag. 217. Quam longissime aberrat a Socio suo scriptis editis clarissimo, & veterum membranarum censore nimium quantum perito Petro Francisco Chiffletio, qui in Historiae Abbatiae Trenorciensis probationibus pag. 219. & 223.

duo Johannis VIII. diplomata ex autographis in phylira desumpsit. Injurium, licet oblique, attamen se palam ostendit sincero & accuratissimo Scriptori Leoni Allatio, qui in Animadversionibus ad pseudo Antiquitates Etruscas num. XL. in papyreis voluminibus instructissimae arcis librariae, cui etiam praefuit, Bibliothecae Vaticanae, instrumenta variarum donationum, & privilegiorum descripta se legisse testatur: & haec inter unum anni vulgaris undequingentesimi; aliud Paschalis I. pro ecclesia Ravennate; aliud cujusdam donationis factae eidem ecclesiae anno decimo quincto Heraclii Augusti, nempe sexcentesimo vicesimo quarto: necnon fragmentum Agnelli Ravennatis Episcopi, qui vivebat anno quingentesimo duodesexagesimo, gratias agentis Justiniano juniori Augusto ob collata beneficia in civitatem Ravennam: quae omnia adhuc in eadem Vaticana Bibliotheca servantur. Impetere insuper videtur Germonius Lucam Holstenium, quem plura ejusmodi instrumenta vidisse testatur idem Allatius.

VI. Neque huic uni se adversum prodit, sed & literarii Senatus proceribus gravissimis, nempe Jacobo Cujacio, qui in Observationibus suis libro nono capite vicesimo sexto autographi instrumenti apochae, sive plenariae securitatis in cortice conscriptae anno Justiniani Imperatoris duodequadragesimo, nempe a Christo nato quingentesimo sexagesimo quarto, ex Bibliotheca Regia fragmentum addu-

adducit: Justo Lipsio, qui capite tertio Dialogi de recta Pronunciatione: Claudio Salmasio, qui in notis ad Spartianum in Caracalla, ad Lampridium in Elagabalo & Severo, & ad Vopiscum in Probo, ejusdem sententias & verba recitant: & Barnabae Brissonio, qui in libro sexto de Formulis pag. 646. eandem apocham a Gosselino descriptam expressit. At neque se propitium ostendit clari nominis viro Gabrieli Naudaeo, qui integram tabulam a Fratribus Puteanis diligentissime exscriptam meliori luce donavit. nec denique Petro Lambecio, a probitate & eruditione commendatissimo, qui Ravennatem chartam anno quingentesimo quarto in cortice arboris scriptam ex pluteis Vindobonensibus protulit in Caesareae Bibliothecae tomum octavum pag. 648. quam deinde interpretatus est Mabillonius.

VII. Et ne diutius, suavissime Dominice, probationibus in re indubia te fatigem, dum Germonius negat primae & secundae Regum Francorum dynastiae a Dagoberto I. ad Ludovicum Pium autographa adhuc integra permanere, non tantum in Galliae suae tabularia, & spectatissimae famae Scriptores, quibus omnis natio eruditorum assurgit, nullum omnino studium confert; Sociosque suos doctrinae praestantia conspicuos Sirmondum, Chifletium, Browerum, Gretserum, Serarium, Hagiographos Bollandianos, & quotquot veteres chartas ex ipsis autographis exceptas sine vadimonio publica

luce donaverunt, contra votum, ut puto, in invidiam ratiocinationibus suis rapere adgreditur; sed etiam Italiam nostram itidem contra votum, sed edito scripto, per cuniculos tetra loligine aspergit, ubi integra diplomatum Pontificiorum, Langobardicorum, & Carolinorum volumina ex puris putis originalibus ecclesiarum, & monasteriorum desumpta jam pridem in apertum protulerunt Ferdinandus Ughellus, & Cornelius Margarinus: quae qualia quantaque Summi Pontifices, Langobardici Reges, & Imperatores suis nominibus & sigillis obsignaverunt, in Italicis pluteis ab octingentis, nongentis, & mille annis adhuc supersunt.

VIII. Scimus porro Veronae in celebri museo Moscardiano instrumentum adservari Theodosio juniore & Albino Coss., idest anno quadringentesimo & quadragesimo quarto confectum in gratiam Sisinnii cujusdam, quod Mabillonius adnotavit in Itinere Italico: ex quo etiam scimus in Bononiensi Grammatophylacio diplomata ecclesiae Ravennatis in papyro Niliaca anno quadringentesimo nonagesimo primo exarata servari. Scimus Lucae, atque etiam Reate, cujus Tabularium instauravit Naudaeus; nec non apud virgines Deo dicatas sanctae Juliae Brixiae plura diplomata a tempore Luitprandi Regis hactenus custodiri: ut insignia eaque innumerabilia aliarum urbium, & ecclesiarum Archiva praeteream, quae singula recensere infiniti propemodum esset laboris.

CA-

CAPUT II.

De Archivis & Tabulariis ecclesiarum & monasteriorum, quibus Chartae sequioribus saeculis custoditae ad nostram usque aetatem pervenerunt.

I. CEterum Germonius initium operis sui contra votum ab alucinationibus auspicatus, nil mirum si per singulas ejusdem partes errorum & sophismatum agmine stipatus incedit. Quid porro intolerabilius excogitari potest, quam diplomata pro autographis a Mabillonio sine probatione venditata jactare, ubi Mabillonius totus in eo est, ut pura puta eorum, quorum nomina praeferunt ea esse demonstret; & invictissimis argumentis id satis superque ab eo demonstratum docti omnes agnoscunt? Ex materia nempe, in qua scripta sunt, ex idiomate, charactere, sigillis, subscriptionibus, notis chronologicis, rebus narratis, aliisque ab auctore incomparabili non quidem oscitanter, sed diligentissime excussis; quibus si calculis suis adstipulari adhuc refragatur Germonius, nunquid propterea earundem chartarum antiqui-

quitatem inde nutare continuo quis arbitrabitur? Sane ſi ita loqui fas erit, a me quoque Diſceptationem Germonii manibus terente jure maximo affirmari poterit, Germonium nunquam Diſceptationem hanc edidiſſe; non in vetuſta Chartaria hoſtiliter graſſatum; non Mabillonium in palaeſtra literaria ſenem emeritum, neque ejus aeternum opus adortum: & ſecus opinantes, umbras & inania captare.

II. Sed quis nubem ſupercilio quantunvis gravi non demat, dum Diſceptator initio operis ſui vulnera, quae ſubinde Sandionyſianis, ceterisque monumentis infligere ſtatuit, quaſi in anteceſſum gypſatis manibus ſanaturus, non prius auditum paradoxon obtrudit, nihil ſcilicet intereſſe eccleſiarum veranè, an falſa ſint antiquiora ejusmodi Inſtrumenta, quum, ſi falſa, non ideo vetus poſſeſſio poſt longam annorum ſeriem amitti: ſin autem indubia, nulla horum ope bona pridem amiſſa poſtliminio repeti valeant. Belle vero Germonius in re ſeria & gravi crepundiis indulgens redit ad nuces. Quid porro ſi iſthaec dilemmata e veſtigio retorqueantur, ita ut quammaximi intereſſe conſtet veranè an falſa Inſtrumenta illa reputari debeant? Quippe ſi vera, inde legitimae poſſeſſionis primaeva origo & antiquitas patet: ſin autem falſa, haud ſane alia de cauſſa olim confiċta fuerint, quam ut hinc juſti, & indubitati donationum tituli obtrudi viderentur: quos quum Germonius lutulentis apocryphorum

for-

ſordibus accenſere moliatur, crimen nulla caede piandum Sandionyſiano monaſterio impingere neceſſe eſt, quaſi ejus alumni veris juribus antiquitus deſtituti, adulterina hujuſcemodi monumenta conſulto procudere ſtuduerint, ut ſuppoſiticiis tabulis Antiſtitum, & Regum judicia per ſummam fraudem eluderent, & praediis male partis tutius fruerentur. Quare fruſtra, me quidem judice, erit Germonius, dum ex ejusmodi cauſſis ſcriptore gravi minime dignis, Mabilloniana diplomata tanquam nulli amplius uſui accommodata proſcindere ſibi impune fas eſſe nobis perſuadere contendit. Atqui, ait Germonius, nulla olim fuit vigilantia in diplomatibus cuſtodiendis, nec inſtrumentorum ſcribendorum uſus ita receptus, ut donationes nudo verbo factae non probarentur. nec poſt longam annorum ſeriem, ſi lis movebatur, poſtulabat judex chartam produci: unde inanis erat chartarum & ſcriniorum cuſtodia, quum antiqua Inſtrumenta contra multorum annorum poſſeſſionem parum valerent: quamobrem nihil erat cauſſae cur iſta tam diligenter adſervarentur.

III. At ego neminem in ſequioris aevi antiquitatibus adeo hoſpitem reperiri puto, qui haſce divinationes, quas neque fando unquam accepit quisquam, ſtatim nugis finitimas, nequid immitius dicam, eſſe non videat. Si ergo ſcripta Inſtrumenta nauci & pili habebantur, cur tot ſollemnitatibus; cur

cur Notariorum, Tabellionum, Scriniariorum, Referendariorum, Cancellariorum, Archicancellariorum; immo Regum, Principum, & teſtium ſubſcriptionibus, & magnis ſigillis firmabantur, quemadmodum ſelectae eruditionis apparatu in libro ſecundo capite decimo tertio docet Mabillonius, diſſerendi & intelligendi magiſter eximius? Si ejusmodi chartae inter viles quisquilias reputabantur, cur pro iis tuendis privata & publica Archiva in eccleſiis & monaſteriis conſtructa? Nugatur ergo ſanctus Auguſtinus dum epiſtola quadrageſima tertia capite nono num. xxv. ad Glorium & alios ita ſcribit: *Non chartis veteribus, non Archivis publicis, non geſtis forenſibus, aut eccleſiaſticis agamus.* Nihil ergo eruitur ex ſententia Symmachi Summi Pontificis, qui in Concilio Romano apud Gratianum cauſſa decima ſexta, quaeſtione quincta, canone quinquageſimo ſeptimo, iniquum eſſe cenſet, ut epiſcopi *cuſtodes potius chartarum, quam defenſores rerum creditarum* judicentur? Quid ad haec Germonius? Ergone tunc Inſtrumenta minime cuſtodita? Sane contrarium educitur ex Archivo Cenomannicae eccleſiae, quod nominatur ad calcem privilegii Childeberti Regis Francorum apud Mabillonium in Analectis tomo tertio pag. 87., ubi recitato privilegio haec ſubjunguntur: *Sunt aliae etiam chartae, vel teſtamenta de eadem re, quae hic propter prolixitatem non inſeruimus: conſervantur tamen hacte-*

nus

nus in Archivo nostrae matris ecclesiae. Idem Archivum nominatur pag. 247. in vita Hodingi episcopi Cenomannensis, ad hanc cathedram evecti anno septuagesimo secundo supra septingentesimum, ex Cointio ibidem num. XXVIII. In iisdem Analectis pag. 257. iterum nominatur idem Archivum, & ejus chartae, *quae legi per omnia prae vetustate, & putredine non poterant*.

IV. Id porro adhuc contendens appellari poterit ad Concilium Milevitanum sub initium saeculi quincti coactum, cujus sanctissimi Patres in Codice Canonum ecclesiae Africanae apud Labbeum tomo secundo Conciliorum col. 2001. statuunt, ut *matricula, & Archivus Numidiae & apud primam sedem sit, & in metropoli, idest Constantinae*. Atque hinc etiam appellari poterit ad Concilium Carthaginiense habitum anno quingentesimo vicesimo quincto, quod ex MS. Vaticano in tomo sexto Spicilegii edidit Lucas Dacherius, ubi sic loquitur Bonifacius Episcopus: *Proferantur ex Archivo hujus ecclesiae scripta, quae direximus, & rescripta, quae sumpsimus*. Et, ne procul a Gallia evagando fatigetur, appellari poterit ad Concilium Agathense anni quingentesimi sexti apud Labbeum tomo eodem col. 1387. quod ecclesiae *documenta*, quibus ejus possessio firmatur aut supprimentibus, aut adversariis tradentibus, illati damni restitutionem, & communionis privationem infligit: eademque poena in

C eos

eos animadvertit, qui in damnum ecclesiae, ejus *Instrumenta*, impie sollicitatis traditoribus, susceperint.

V. Itane vero Instrumenta & chartae non custodiebantur, si eas ex Archivis per fraudem clerici auferre poterant, & si inde scripta proferebantur? At si non custodiebantur, cur Magnus Gregorius scribens ad Desiderium Episcopum libro septimo epistola decima septima, agit *de Chartis* ecclesiae Cadurcinae? Cur in epistola tertia libri secundi ad Johannem Abbatem de monasterio scribens, ***authenticam chartam & exemplaria chartarum*** exigit ad caussae cujusdam discussionem? Cur ibidem Stephanum ***Chartularium***, idest custodem chartarum laudat? Cur in epistola duodevicesima libri septimi ad Marinianum Ravennatem Antistitem non semel memorat chartas monasterii Classensis? Cur Neapolitanos monachos Adeodato Abbati ***chartas omnes monasterii*** sui tradidisse perhibet libro octavo epistola duodequadragesima? Et sane si Archiva sua ecclesiae non habuissent, Catholici a Donatistis de Conciliis tempore persequutionis habitis sollicitati, non respondissent in Breviculo collationum capite decimo septimo, quod ***tunc inquirere & ad horam veteres chartas in Archivis ecclesiasticis discutere non poterant***. Neque piarum donationum Indiculi episcopalium chartarum armariis in oriente clausi fuissent, ut elicitur ex Justiniani No-

Novella ſexageſima quincta: neque Reginarum pientiſſima Radegundis ſuum ipſius teſtamentum in *univerſalis eccleſiae Archivo ſervari* effuſis lacrymis deprecata fuiſſet in epiſtola ad Gallicanos epiſcopos, ut tradit antiquiſſimus & fideliſſimus Francorum Hiſtoricus Gregorius Turonenſis in libro nono capite altero & quadrageſimo col. 475. editionis eruditiſſimi Theoderici Ruinarti, cujus manu obſtetricante, eundem quaſi renatum, nitidiorem & puriorem habemus. Scilicet immortalis femina ad tabularia eccleſiarum reſpexit, *quatenus*, inquit, *ſi contra improbos aliquos neceſſitas exegerit, ut veſtra defenſione ſoror mea Agnes Abbatiſſa, vel congregatio ejus, quo ſuccurri ſibi popoſcerint, veſtrae miſericordiae pia conſolatio opem paſtorali ſollicitudine ſubminiſtret*. Quare id poſtulabat Radegundis non tam ad publicam fidem, quam ad praeſidium monaſterii ſui: quod utique non poſtulaſſet, niſi tunc veteres chartae ſub cuſtodia ſervatae, & niſi maximum robur ad pias donationes tuendas in judiciis inde petere moris fuiſſet.

VI. Huc ſine dubio animum advertit etiam Ludovicus Pius in Capitularibus Baluzii tomo primo col. 552. ubi de quibusdam inſtrumentis ſic ſtatuit: *Exemplar vero eorum in Archivo palatii noſtri cenſuimus reponendum, ut ex illius inſpectione, ſi quando fieri ſolet, aut ipſi reclamaverint, aut Comes, vel quislibet alter contra eos cauſſam ha-*

 buerint,

buerint, *definitio litis fieri possit*. Viden', lites & controversias chartis ipsis in tabulariis diligenter adservatis definiri consuevisse, contraquam disceptat Germonius: cujus argumenta ad incitas redigit etiam Frodoardus libro secundo capite undevicesimo Historiae Remensis, ubi narrat *Archivum ecclesiae Remensis* TUTISSIMIS AEDIFICIIS constructum fuisse ab Ebone Ludovici Pii collactaneo, qui in ea Sede anno decimo septimo supra octingentesimum Vulfario successit: quorum modo locum eximiis virtutibus implet inclytus Antistes Carolus Mauricius Tellerius, ingens literarum incrementum, & literatorum parens magnanimus, quem honoris & amplitudinis caussa nomino. Cur vero TUTISSIMIS AEDIFICIIS Ebo Archivum construxerit, etiam ji sciunt, qui nondum aere lavantur, dempto uno fortasse Germonio: nimirum, ut in eo veteres chartae & diplomata ad ecclesiam Remensem spectantia, contra hominum & saeculorum injurias custodirentur: quod & in aliis Galliarum ecclesiis factitatum Germonius discere poterat ex placitis episcoporum Cenomannensium a Baluzio vulgatis in Miscellaneis tomo tertio: ex concordia scilicet cujusdam Bethae cum monasterio sancti Vincentii Cenomannensis anno undecimo Theoderici Regis, sive Christi tricesimo supra septingentesimum: ex placito Gauzoleni anno primo Pippini Regis, nempe Christi septingentesimo quinquagesimo secundo; & ex alio Meroli undetricesimo Caroli Regis,

Regis, nempe nonagesimo sexto supra septingentesimum: quæ singula instrumenta clauduntur his verbis: *Anteriorum episcoporum authentica & praecariae infrascriptarum villarum in Archivo Cenomannicae matris ecclesiae conservantur: & propter prolixitatem operis in hac schedula non sunt inserta*. At si *non licebat cuiquam litem movere post longam annorum seriem: neque, si moveretur, postulabat judex instrumentum & chartam produci*, ut Germonius antiquarum consuetudinum explanator novissimus confidenter, veluti ex tripode, affirmat; cur Archiva TUTISSIMIS AEDIFICIIS constructa *anteriorum episcoporum authentica* instrumenta inclusa servabant?

VII. His affine exemplum nobis suggerit Hariulfus monachus Centulensis, sive sancti Richarii, qui anno duodenonagesimo supra millesimum sui coenobii historiam complevit: quam in carmine ad syncellitas suos edito per Mabillonium in Analectis tomo primo pag. 432. se in eorum gratiam illam scripsisse ex Archivis Centulensibus decerptam, testatur his verbis:

Quam puto vos latuisse diu, nec vestra tenere:
Condita SECRETIS *armaria* CLAVIBUS *arcent*.

Quia vero in eandem historiam conjecerat antiqua diplomata ad monasterium Centulense spectantia, in fine operis apud Dacherium tomo quarto Spicilegii pag. 616. enixe monet posteros coenobitas,

ut

ut ea custodire non desinant: *Obsecro omnes, qui in hoc sancto loco militaturi sunt, immo per virtutem Dei, & sapientiam Christi obtestor, ut haec, in quibus congregandis desudavimus, diligenter custodiant, & ea qualicumque modo deperire non permittant*. Ergo SECRETIS CLAVIBUS apud Centulenses diplomata condebantur, & Hariulfus aliquot saeculis ab eorum impetratione adhuc ea custodiri obtestatur, non obtestaturus, si id nihili interfuisset. Sed longe ante Hariulfum Carolus Calvus in placito apud Pistas celebrato anno octingentesimo undeseptuagesimo in Capitularibus Baluzianis tomo altero col. 214. jubet, ut *episcopi privilegia Romanae sedis, ac Regum praecepta ecclesiis suis confirmata*, VIGILI SOLERTIA CUSTODIANT, *ut exinde auctorabili firmitate tueantur*.

VIII. Longius progrederetur oratio, si ego singula, quae occurrunt hanc in rem argumenta commemorare in animum inducerem. Sed tamen praeterire non possum quin extra Gallias etiam raptim excurram inspecturus quam oculata vigilantia veteres chartae in ecclesiasticis Hispaniarum Archivis mille & amplius ab hinc annis ad testimonia inde petenda sartae tectae custodirentur. Hoc non sanctiones Pontificum, non Conciliorum canones, non piorum Regum edicta, nec sancti & religiosi scriptores: sed homo tyrannus Germonium edoceat, Ervigius nempe Rex Wisigothorum, qui in Codice Fride-

Friderici Lindenbrogii pag. 238. in lege ſancita Toleti anno primo ſui Regni, ſeu ex Roderico Toletano de rebus Hiſpanicis libro tertio capite decimo tertio, aera Hiſpanica viceſima tertia ſupra ſeptingenteſimam, quae incidit in annum vulgarem octogeſimum quinctum ſupra ſexcenteſimum, loquens de Judaeis Catholicam fidem profitentibus, jubet, ut SOLLICITA DILIGENTIA ***unusquisque ſacerdos eas ipſas profeſſiones in Archivis ſuae eccleſiae*** RECONDAT, ***qualiter pro eorum perfidorum teſtimonio ſtudioſius conſervata perſiſtant***. Sane veteres membranas in his iisdem Archivis poſt longam & variam annorum fortunam adhuc exſtantes ſaeculo proxime elapſo ſemel atque iterum evolvit literarum & Societatis Jeſu ſingulare ornamentum Andreas Schottus, ut teſtatur in Obſervationibus ſuis, potiſſimum vero in Nodis Ciceronianis libro ſecundo capite undecimo. Quamplurima etiam documenta ex iisdem Archivis pro hiſtoria illuſtranda in apertum eduxerunt Garzias Loaiſa, Antonius Jepeſius, Chriſtophorus Sandovalius, & nuper Cardinalis Joſephus Aguirrius, cui Concilia Hiſpanica aeternum debebunt.

IX. At ſi non in penitiſſimis eccleſiarum larariis tanquam ſacra quaedam anathemata, ubinam gentium ſervata ſunt tot epiſtolarum, donationum, & privilegiorum millia, quorum ſinceriſſima apographa ſuperiori & noſtra aetate maximo rei literariae emolumento ab oblivione & interitu vindicarunt

carunt probatiſſimi auctores, quorum agmen ducit magnus Annalium conditor? praecipue vero Henricus Caniſius, Sebaſtianus Tengnagelius, Aubertus Miraeus, Chriſtophorus Gewoldus, uterque Duchesnius & Sammarthani, Sirmondus, Serarius, Rocchus Pirrus, Ughellus, Margarinus: & ex heterodoxis Melchior Goldaſtus, Marquardus Freherus, Henricus Spelmannus, Rogerus Dodsworthius, & Gullielmus Dugdalius: tempore autem nobis proximo Socii Bollandiani, Lucas Dacherius, Petrus de Marca, Carolus Cointius, Johannes Mabillonius, Edmundus Martene, Stephanus Baluzius.

X. Quantum vero laudandi ſint horum conatus in veteribus monumentis publica luce donandis, ſiquis ignoraret, ſatis eſſet ob oculos ponere Alexandri VII. judicium, ſummo Pontifice dignum, qui viſis quinque prioribus tomis Spicilegii Dacheriani, multum illud opus laudavit, *dixitque ſibi prae omnibus placere virorum illuſtrium epiſtolas, & ea quae pertinent ad hiſtoriam, & ad antiquam eccleſiae diſciplinam: nam haec, inquit, ſingularia ſunt, & hiſtoria epiſtolaris omnium certiſſima eſt. Tum ſubdidit utiliorem praeſtare operam reipublicae literariae qui eruendis e ſitu bibliothecarum veterum lucubrationibus incumbunt, quam qui novos cudunt libros, libri enim novi, ſi quid boni continent, ab antiquis mutuari ſolent.* Haec in epiſtola praefixa tomo ſexto Spicilegii ſcripſit ad

eun-

eundem Dacherium Johannes Bona, quem poſtea ad ampliſſimam Eccleſiae dignitatem eximia pietatis & doctrinae merita evexerunt.

XI. Quae hactenus diximus de Archivis, quorum nomen vix leviſſime attigit Balthaſſar Bonifacius in peculiari opuſculo, quod de iis evulgavit, manifeſte probant in caducum parietem inclinare Germonium, dum ſaeculis Merovingicis & Carolinis nullum veterum Chartarum pretium, nullam cuſtodiam, nulla earum reconditoria fuiſſe comminiſcitur. Atque haec eadem fortaſſe eccleſiarum epiſcopalium Archiva, Romanam Eccleſiam ceterarum magiſtram, exemplo reſpiciebant: quam ſua tabularia habuiſſe, atque in ea peculiare officium & dignitatem Scriniariorum, qui Archivo praeerant, quique Chartophylaces CPoli appellabantur, diu viguiſſe, a nemine, qui ſacram antiquitatem primoribus labris attigerit, puto ignorari. Eodem exemplo monaſteriis ſua Tabularia fuiſſe nemo praeter unum Germonium in dubium facile revocaverit; quum publica *Archiva monaſterii* memorentur a Jona in libro ſecundo capite octavo vitae ſancti Johannis abbatis monaſterii Reomaënſis, quam edidit Petrus Roverius in hiſtoria ejusdem monaſterii: itemque ab Anonymo, ſeu potius (ut ex acroſtico eruitur) a Gislemaro in vita ſancti Droctovei abbatis Saeculo primo pag. 252. inter Acta Sanctorum per Mabillonium adornata, qui non homines tantum, ſed

D ſupe-

ſuperos etiam operoſis lucubrationibus nobiliſſime demeruit. Eadem confirmantur teſtimonio auctoris cognomento Magiſtri, qui in capite decimo ſeptimo Regulae, ſaeculo ſeptimo in Galliis ab eodem conſcriptae, uti obſervat Mabillonius in Annalibus Ordinis ſui libro duodeviceſimo num. 80., recenſens varia rerum monaſticarum reconditoria, memorat *arcam cum diverſis codicibus*, *membranis*, *& chartis monaſterii*. Sic etiam Odo Glannafolienſis abbas in Saeculo quarto Benedictino, parte ſecunda pag. 169. in hiſtoria translationis ſancti Mauri, anno undeſeptuageſimo ſupra octingenteſimum conſcripta, *de* PERIBOLIS *& ſcriniis chartarum* monaſterii ſancti Albini Andegavenſis mentionem facit: ubi vocem PERIBOLUM, Archivum ſeu tabularium exponit Johannes Bollandus tomo primo Januarii pag. 1054. quae vox ſeptum, vallum, aut Xyſtum ſignificat, quia nempe contra hominum & temporum injurias muniebantur coenobiorum Archiva.

XII. Sed ad evincendum quanta cuſtodia in monaſteriis diplomata & inſtrumenta donationum adſervarentur, maximum robur adferri poteſt ex conſuetudine quotannis ea legendi in Capitulo, dum eorum cura ad id ſpeciatim deputato committebatur, qui omnia debito in ordine diſpoſita tutiſſimo loco incluſa ſervaret, quemadmodum vir pius & eruditus Edmundus Martene, qui monaſticos & eccleſiaſticos ritus egregie illuſtravit, ex veteri charta

ta Hugonis abbatis ſancti Germani a Pratis animadvertit in libro primo capite quincto num. 31. de Antiquis monachorum ritibus. Ejusdem, ſi non majoris momenti eſt quod narrat Rodulphus Tortarius in Saeculo quarto Benedictino parte ſecunda pag. 409. nimirum apud Floriacenſes privilegia & inſtrumenta in TURRICULA adſervata fuiſſe, ſicut etiam apud Croylandenſes in *chartaria*, ARCU LAPIDEO *per totum contecta*, ut teſtatur Ingulphus in hiſtoria Croylandenſi ad annum MXCI. inter rerum Anglicarum ſcriptores veteres tomo primo edito Oxonii anno MDCLXXXIV.

XIII. Ad Tabularii vero Sandionyſiani antiquitatem tuendam omnium proximum & validiſſimum momentum ſuppeditat Imperatoris Ludovici Pii Praeceptum de reſtitutione ordinis monaſtici in coenobio ſancti Dionyſii, a clariſſimo Baluzio tomo primo Capitularium col. 678. vulgatum, atque anno triceſimo ſecundo ſupra octingenteſimum ibidem conſcriptum, ubi monachorum ſponſionis exemplar *in Archivo ipſius monaſterii ob memoriam & ſtabilitatem*, reponendum edicit. En unde *conſtat tantam fuiſſe cuſtodum vigilantiam*; ob memoriam nempe & ſtabilitatem inſtrumentorum poſteris tranſmittendam. Hinc, ut ad manum quaeque facilius haberentur, redacta fuerunt in Codices, quos *Tomos chartarum* vocat Gregorius Turonenſis libro decimo capite undeviceſimo col. 512., alii vero *Regeſta*. Idem de Chartis iurium

Romanae Ecclesiae praestitit Cencius Camerarius: de Farfensibus Gregorius, & Johannes monachi, ex Mabillonio in Musei Italici tomo primo: Petrus Diaconus de Casinensibus: Hariulfus de Centulensibus: Johannes Berardus de Casauriensibus: & de Aquilejensibus nostris Odoricus Susannius, trium Patriarcharum Aquilejensium Cancellarius, Ludovici a Turre, Marquardi de Randek, & Philippi Cardinalis de Alenconio ex regia stirpe Francorum.

XIV. Ac ne plura, quae sunt pene innumerabilia, consecter, inter veteres Formulas ab eodem Baluzio, nonnisi bene de antiquitate meritis accensendo, luci vitaeque datas, una exhibetur tomo secundo Capitularium pag. 571. quae undequaque Germonii jugulum petit. quippe ea est formula testamenti, *quod in Archivis basilicae sancti Ill. conservandum* decernitur: ex quo apparet omnes & quascunque basilicas annexa habuisse Tabularia, ubi instrumenta recondebantur, quum in eadem formula generatim testamenta recondi praecipiantur in Archivis basilicarum: quod nomen ecclesiis monasteriorum, & monasteriis ipsis datum; iisque potissimum, non cathedralibus, ostendit Valesius in Disceptatione contra Launojum, & Mabillonius in tomo priori Annalium Ordinis sui. Hinc auctor ejusdem testamenti relinquit abbati & monasterio *strumenta chartarum & libros.* Cur vero? Scilicet, ut monastici Archivi penetralibus commendata, non interirent.

CA-

CAPUT III.

Genuina & vetustissima autographa in papyro Aegyptiaca, in cortice & in membranis adhuc servata. Alia diplomatum, alia librorum edendorum consuetudo. Plura ejusdem tenoris autographa instrumenta olim conscripta. Codices emendati a viris dignitate clarissimis. Donationes scripto confirmatae etiam apud Ripuarios. Notitiae saeculo undecimo usitatae. Donationes monasteriis factae.

I. AEque ac in ceteris ingenio & judicio, quod sibi adsciscit abuti mihi videtur Germonius, ubi diplomatum, quae pro speciminibus a Mabillonio adducuntur inde fidem elevare studet, quod vetera instrumenta in *papyro Aegyptiaca, in cortice & membranis* conscribi solita, temporis edacitatem ita effugisse non putet, ut in nostras manus inciderint. Dispeream, nisi his lectis continuo quis posito etiam pignore affirmet, Disceptatorem hunc nostrum ad jugulandam sibi adversantium opinionem, pertinaci αὐτοψίᾳ in ipsis archetypis lustrasse quotquot Merovingica &

& Carolina diplomata Mabillonius caelo & typis descripta nobis exhibuit. Verumenimvero quis credat, ne unum quidem perfunctorie ad suam infelicem caussam pro virili roborandam ab eodem inspectum? Quippe illi in re antiquaria non adhuc seni, suas divinationes mente volventi id assequi visum est, quod mente & oculis iisque perspicacissimis assequuti non sunt viri omnibus ingenii, & doctrinae praesidiis instructi, qui inter veteres membranas & codices manu exaratos consenuerunt: quique omnium eruditorum suffragiis in iis discernendis & dijudicandis principem sibi locum vindicarunt, ut Mabillonius, Cangius, Cotelerius, Herovallius & Baluzius.

II. Quamobrem mirari vehementer profecto aequum est, hominem prima criticorum subsellia captantem id sibi negotii solum dari credidisse, ut rebus a se nunquam visis, nedum accurato examine contrectatis, diem diceret, illasque proscriptione multaret: & ipse unus, veluti somnians, oculatissimos viros in luce meridiana caecutiisse palam clamaret. Si Germonio Sandionysiana Tabularia adire libuisset, quemadmodum libuit ceteris praestantissimis viris, qui procul a stulta credulitate de illis sententiam tulerunt; continuo vidisset sibi disceptandi & tricandi laborem omnem ademptum. Vidisset Dagoberti I. diploma in papyro Aegyptiaca

tiaca ad nos usque per saeculorum injurias, licet partim lacerum, tamen transmissum. Vidisset Chlodovei junioris diplomata in cortice, seu papyro Niliaca magna ex parte adhuc mutila. Vidisset ea omnia, quae ipse non reperiri lectoribus suis manibus & pedibus persuadere conatur.

III. Festivus vero est Germonius, qui ubi se in tricas injecit, pulverem in hominum oculos spargere ambabus manibus nititur, ut deinde captioso sermone ludificatos in suam sententiam declinare compellat. Hac techna in Mabillonium impetum facit dum aliam diplomatum, aliam librorum fortunam exstitisse contendit: quum enim, inquit, multa horum *exemplaria haberentur*, *nec omnia simul perire possent*, *facile fuit*, *uno pereunte*, *aliud exscribere de novo*, *& in deperditi locum substituere*: quare si codices antiquissimi adhuc bibliothecarum forulos gravant, id eorum multitudini tribuendum, quae fecit, ut pluribus aevo absumptis, unus aut alter eruditorum hominum diligentia, tanquam exigua tabula, naufragium evaderet. *Adde*, subdit Germonius, *quod nemo jactat habere se libros veteres ipsorum auctorum manu exaratos*. Jam illud in diplomatibus & instrumentis effingi non potest: quorum autographum plerunque unicum erat, si eidem credimus, nec semel excisa reparari poterant, nisi adulterinis in eorum locum suppositis.

IV.

IV. Profecto ſua laus Germonio danda eſt,

Nam verum fateamur, amat Polymnia verum;

vera, ſed quae ipſe noluiſſet, aliquando divinavit. Alia quidem diplomatum, alia librorum: alia bibliothecarum, alia Archivorum fortuna. In bibliothecis literaria ſupellex adſervabatur; in Archivis ut plurimum acta & inſtrumenta privata, non ad rem literariam; ſed ad praedia, latifundia, & ditiones pertinentia: unde, ut ſunt res hominum comparatae, in his tuendis magis vigilabat eorum cuſtodia, ne illis deperditis, poſſeſſionum dominium & jura periclitarentur. Non ergo mirum, ſi aliquot veterum inſtrumentorum lipſana in Tabulariis ſollicite cuſtodita ad nos devenerunt, licet plura perierint; nam quinctum ſaeculum non ſuperant, quae in Cimeliarchiis tanquam ſacrae vetuſtatis exuviae, adhuc monſtrantur. Si vero in bibliothecarum pluteis antiqui codices latent, quorum auxilio poſt artis typographicae inventum tot veterum ſcriptorum editiones adornatae; id dandum amplitudini bibliothecarum, cuſtodum ſollicitudini, & voluminum pretio; aliquando etiam fortunae. Et quum ipſa quoque diplomata ſuum pretium, & quidem majus, quam libri ſecum habuerint, praecipue vero ſaeculis barbaris, & inſcitia pleniſſimis, dum inſtrumentorum, & diplomatum ſervandorum cauſſae rei literariae, uti etiam nunc, longe antiſtabant; non intelligo quamobrem diligentiſſime cuſtodiri non debuerint, & cur mirari

mirari subeat, adhuc passim eorundem prototypa exstare. Si volumina in phylira, in cortice, & in tenuissimis membranis a mille & amplius annis descripta hodie supersunt, cur diplomata & instrumenta superesse non poterunt, quum per eadem pericula utraque transierint; & cautiorem forte custodiam haec, quam illa sortita sint? quippe Codicum, qui exstant veterrimi, incolumitas non uni eorum multiplicitati, sed curae de iis habitae adscribenda est.

V. Nec minus quam in ceteris Germonius alucinari mihi videtur, dum *cujusque diplomatis autographum raro geminum*, sed *fere semper unicum* fuisse affirmat. e contrario enim raro unicum, fere semper geminum fuisse constat ex veteribus instrumentorum formulis & apographis passim vulgatis. Et primo quidem apud Marculfum in Capitularibus Baluzii tomo altero col. 413. num. 14. de formula cujusdam pacti sic scribitur: *Propterea praesentes epistolas duas uno tenore conscriptas locum pactionis inter se visi sunt conscripsisse*. In concambio de villis col. 420. num. 243: *Duas inter se uno tenore chartas conscripserunt*. In libello repudii col. 423. num.30. *Propterea has epistolas inter se uno tenore conscriptas fieri & adfirmare decreverunt*. In appendice Marculfiana col. 447. num. 17. in commutationibus de terris: *Praesentes commutationes duo uno tenore conscriptas*. Inter formulas

Sirmondicas col. 478. num. 17. in donatione inter virum & uxorem: *Quislibet persona qui contra has epistolas uno tenore conscriptas, quas inter nos fieri rogavimus, aliquid agere, &c.* In epistola qualiter pupilli recipiantur col. 481. num. 24. *Convenit nobis, ut duas epistolas uno tenore conscriptas exinde conscribere, vel adfirmare deberemus.* Eodem modo col. 484. num. 28. & col. 494. num. 44. Inter formulas quoque Bignonianas *in concamiatura* inter duos abbates col. 503. num. 14. *Duas epistolas pariculas uno tenore conscriptas.* Inter Lindenbrogianas col. 524. num. 50. in donatione: *Duas epistolas adfatimas uno tenore conscriptas inter se fieri, vel firmari rogaverunt.* In nova collectione Baluziana col. 589. num. 48. in charta commutationis: *Sic itaque complacuit atque convenit inter Illum abbatem cum aduocato suo, seu coenobii Illius, seu inter alios saeculares inter Illum & Illum, ut simillas firmitates, parique tenore conscriptas cambii sui emitterent.* In veteri instrumento apud Bignonium in notis ad formulas Sirmondicas col. 976. *Et fieri placuit duas chartolas.* In praecepto demum Caroli Calvi edito per Baluzium in Appendice actorum veterum col. 1464. *Unde & duas commutationes inter se aequo tenore conscriptas & legaliter roboratas, &c.* Nec solum gemina, sed & plura ejusdem tenoris instrumenta conscripta fuisse reperimus. Sic Carolus Magnus Du-

Ducatus Spoletini donatione facta Ecclesiae Romanae, eam ab Etherio Notario scriptam *prius super altare beati Petri, & postmodum intus in ejus confessione posuit: deinde apparem ipsius donationis per eundem Etherium adscribi faciens, intus super corpus beati Petri posuit; aliaque ejus donationis exempla secum deportavit*, inquit Anastasius in Hadriano. Alia profert Mabillonius libro primo capite secundo num. VII. unde huic rei jam pervulgatae diutius non immorabor.

VI. Haud amplius quicquam proficit dum ex veteribus libris ipsa auctorum suorum manu exaratis nullum haberi clamat; quasi ideo quoque antiqua instrumentorum archetypa haberi non possint. Alia fuit librorum, alia diplomatum edendorum consuetudo. Dum libri emittebantur in lucem, non Cancellariorum, non testium, sigillorum, monogrammatum, indictionum, annorum, mensium, notis & characteribus ad fidem apud posteros in judiciis promerendam, ut diplomata & instrumenta, muniebantur. Haec si fieri consuevissent, adhuc indubia librorum autographa monstrari possent; & inter eosdem codices, qui in variis bibliothecis Europae a multis retro saeculis custodiuntur, aliqui autographi indubitati apparerent; quemadmodum adhuc apparet chirographum nobilissimi & doctissimi viri Turcii Asterii Aproniani in celeberrimo & auro contra aestimando Virgilii Codice Mediceo,

quem idem Turcius a Macario V. C. dono acceptum conſulari manu diſtinxit & emendavit anno vulgari nonageſimo quarto ſupra quadringenteſimum, ut in fine Bucolicorum ipſemet Turcius adnotavit. En ergo autographum antiquiſſimum Turcii Aproniani, quia ipſe ſuum nomen, cognomina, dignitates, & menſem chirographo adpoſuit. De eo Codice, elegantia & characteris antiquitate nobiliſſimo, egregia & ſcitu digna protulit eruditiſſimus majorum gentium Criticus Henricus Cardinalis Noriſius in Cenotaphiis Piſanis diſſertatione quarta, capite II. §. I.

VII. Addam ego rem auctori praeſtantiſſimo non obſervatam, gravium nempe ſcriptorum libros olim emendari conſueviſſe per viros dignitate principes, ut non ſolum ex Virgilio Mediceo, ſed etiam ex codice T. Livii olim bibliothecae Chiffletianae, ad apographum antiquius deſcripto, & per Godefridum Wendelinum in notis ad leges Salicas pag. 118. indicato, apparet, ubi liber ſecundus ſic claudebatur: *Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis*. Liber tertius & quartus ſic: *Nicomachus Dexter V. C. emendavi. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis*. Liber quinctus ſic: *Nicomachus Dexterum* (forte *Dexter V. C.*) *emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani. Victorianus emendabam Domnis Symmachis*. Liber ſextus ſic: *Nicomachus Flavianus V. C. IIII. Praefect. Urbis emendavi. Victorianus emenda-*

bam

bam Domnis Symmachis. Denique in fine libri ſeptimi haec legebantur: *Emendavi Nicòmachus Flavianus ter Praef. Urbis apud Henna. Victorianus V. C. emendabam DomnisSymmachis*. Eodem pacto Caeſaris Commentarios *Julius Celſus Conſtantinus Vir Clariſſimus* emendavit, quemadmodum in MSS. Puteanis poſt ſingulos Caeſaris libros ſe deprehendiſſe teſtatur Johannes Goduinus in praefatione ad Caeſarem in uſum Delphini. In bibliotheca etiam Vaticana exſtat celebris codex Terentii, quem aevo Caroli Magni quidam *Hrodgarius ſcripſit*, & *Calliopius ſcholaſticus recenſuit*, ut poſt ſingulas Comoedias apparet. *Scholaſticus* autem erat dignitas eccleſiaſtica. Hoc idem in ſcriptis Alcuini praeſtitiſſe Carolum Magnum teſtatur his verbis idem Alcuinus epiſtola decima quincta col. 1510. operum editionis Ducheſnianae: *Gratias agimus venerandae pietati veſtrae, quod libellum, ſecundum veſtrae juſſionis praeceptum vobis directum, auribus ſapientiae veſtrae recitari feciſtis: & quod notari juſſiſtis errata illius, & remiſiſtis ad corrigendum.*

VIII. Si ergo certa cognitio voluminum autographorum aliunde quam ex characteribus & notis, quas ipſi auctores adpoſuerunt aptius colligi nequit, nae operam ludit Germonius, nulla librorum autographa ſupereſſe jactans; nam horum penuria non ideo contingit, quod omnes veteres libri intercide-rint,

rint, sed potius quia necessitas & consuetudo non tulit, ut eorundem auctores illas notas adscriberent, quas diplomatibus & instrumentis semper oportuit adscribi. Neque unus est codex Mediceus, qui antiquissimam scripturam auctoris manu confectam repraesentet: nam Mediolani in laudatissimo Septaliano museo servatur Index sanctorum Martyrum, quorum corpora Gregorii Magni temporibus Romae quiescebant, a Johanne quodam, qui suum proprium nomen adscripsit, sub Theodelinda Langobardorum Regina in charta Aegyptiaca exaratus. Hoc pretiosissimum ecclesiasticae antiquitatis monumentum in bono lumine collocavit V. C. Ludovicus Antonius Muratorius, qui ob insignia Anecdota ex Ambrosianae bibliothecae penetralibus educta, & eruditis disquisitionibus aucta, in ore famae versatur: quemque non solum amicitiae, quae mihi cum eo est arctissima, sed honoris & existimationis caussa nomino. Haec quidem in Italia: nec dubito quin alibi quoque his similia autographa reperire facile sit ad conterendam opinionem Germonii, Pyrrhonismum introducere molientis in rem literariam, atque in historiam veritatis magistram, cujus certa cognitio non aliunde tutius, quam ex antiquis membranis & instrumentis eruitur.

IX. Jam vero post custodum sibi succedentium in chartis tuendis vigilantiam, contra Germonii argumentationes vindicatam & digito ostensam,

ſam, accedendum eſt ad donationum uſum & conſuetudinem, quas ipſe antiquitus ita invaluiſſe non putat, ut ſine ſcripto factae paſſim non reciperentur: ad quod demonſtrandum leges Ripuariorum adducit, unde rem aliorſum interpretans, ad donationum firmitatem nihil praeter quendam teſtium numerum olim requiſitum ſibi fingit. At forte Mabillonius timide & invito admodum genio in ſententiam Germonii deſcendet: & quidem jure ac merito: quid enim Ripuariis cum Francis, cum Burgundionibus, cum Romanis, Alamannis, Friſionibus, Bajoariis, Saxonibus, Langobardis, & Wiſigothis, quorum omnium placita in ingentis molis Codicem digeſſit Fridericus Lindenbrogius; & a quibus Ripuarios legibus ſuis diſtinctos fuiſſe, ſatis ſuperque exploratum eſt ex ipſis legibus Ripuariorum Tit. XXXVI. §. I. in Capitularibus Baluzii tomo primo col. 36. quae quidem leges, tanquam decempeda, eorum conſuetudinum fines a ceteris valde longinquos, metantur; ut etiam olfecit Francicae hiſtoriae ſcrutator & illuſtrator inſignis Hadrianus Valeſius in Notitia Galliarum pag. 478. quem ſaltem obtutu ſuo dignari debuiſſet Germonius antequam ex hujuſmodi leviſſimis cauſſis Mabillonio turbas & lites concieret, eundem quaſi laceſſens ad ſingulare certamen. Si ergo mos ille, quod poſtea diſcutiam, adhibendi teſtes & non Tabelliones in donationibus, aliquando viguit apud Ripuarios in Ger-

Germania inferiori ad Rhenum Romani Imperii limitem habitantes, quem illi *Ripam* antonomastice appellaverunt, ex Godefrido Wendelino in notis ad leges Salicas pag. 115. minime tamen viguit apud ceteras gentes: quas donationum scriptis factarum morem antiquitus retinuisse ex innumeris locis evincitur; & jam pridem universum hoc argumentum diffusa & recondita, qua pollet eruditione Mabillonius exhausit in libro primo capite quincto ejusdem ipsius praestantissimi operis, quod sordet Germonio.

X. Et sane unum Marculfum saeculi septimi scriptorem inspicienti, res e vestigio patebit. in ejus enim Formulis sunt donationes Regales, quas vocat, idest factae in Palatio & coram Rege: & Pagenses coram Comitibus & Centenariis, seu vicorum & opidorum Judicibus. Alias donationum formulas monasteriis factas in Appendice Marculfiana emisit Baluzius; alias item Johannes Garnerius in libro Diurno. Sed Germonium ubique falso hariolari inde apparet, quod eae ipsae donationes, quae verbo fiebant, scripto postea sollemni confirmabantur: ex quo deinde ad majorem cautionem posterorum, inventae sunt Notitiae privatae, quae rei gestae historiam, ac testes exprimerent: de quibus Notitiis saeculo undecimo apud Gallos suos usitatissimis multa, nec cuivis obvia in libro tertio capite quarto, & in Saeculo quarto Benedictino parte prima pag. 761. Mabil-

Mabillonius congessit, quae non repeto, ne aliena compilem scrinia. Ejusmodi porro Notitias non tantum trans Alpes, sed & apud nos Italos in usu fuisse mihi suppetit, dum locupletissimum & antiquissimum ecclesiae Civitatis nostrae Forojuliensis Carnorum Tabularium memoria repeto; in quo octo ab hinc annis plures easque vulgatu dignas saeculi undecimi Notitias excussi; & quidem non tantum eorum, quibus donatio facta est, ut sunt Mabillonianae, sed etiam donatorum nomine literis consignatas.

XI. In hoc autem differunt Notitiae privatae a publicis & authenticis, quod hae coram magistratu, seu judicibus, & episcopis in loco publico constitutis edebantur, quales sunt *Notitiae judicati*, *evindicati*, & aliae id genus formulae, cujusmodi unam & alteram vulgavit Camillus Peregrinus junior in historia Principum Langobardorum pag. 251. Illae vero a privato Notario condebantur coram testibus subscribi solitis, sed non coram magistratu, aut publico in loco. Notitia vocatur *breve memoratorium*, seu *recordationis* in Tabulario Casauriensi apud Cangium: *breve recordationis ad memoriam retinendum* apud Pilonum in historia Bellunensi pag. 77. & alibi *breve memoriale*, ut apparebit ad calcem hujus nostri operis, ubi dabimus unum & alterum exemplum Notitiae publicae & privatae, olim a nobis e patriis tabulariis exscriptum. Eo in primis recidit quod occiden-

talium monachorum Patriarcha Benedictus in Regulae suae capite undesexagesimo de donationibus monasterio *sollemniter* factis edicit: ubi sine dubio eae intelliguntur, quae scriptis publicis & authenticis literis tunc fieri, nempe saeculo sexto, consueverunt: unde sanctus Aurelianus Arelatensis episcopus in Regulae suae capite quadragesimo septimo ad sollemnem donationem, de qua agit sanctus Benedictus ejus aequalis, *chartas* exigi mandavit. quod auctor cognomento Magister diserte confirmat ubi candidati monachi professionem describens haec habet capite undenonagesimo: *Tunc ille brevis* (nempe sollemne instrumentum) *vel donatio rerum suarum Deo vel monasterio facta ipsius donatoris manu, super altare ponatur*. Hinc in testamento suo Radegundis apud Gregorium Turonensem *chartas* donationum tam proprio, quam sororum nomine parthenoni sanctae Crucis Pictavensis inscriptas commemorat.

XII. Possem densato exemplorum agmine effatum Germonii amplius evertere, nisi ad averruncandum supinae alucinationis fascinum haec pauca sufficerent. Unum tantum addam hic argumentum insigne a Magno Gregorio suppeditatum, qui ab Adeodato monacho rogatus, ut donationem ab eo ante susceptum monachatum verbo factam scriptis consignari permitteret, ejusdem petitioni annuit his verbis in libro undecimo epistola quincta: *Quia igitur priusquam in monasterio sancti Hadriani ubi es*

es conversus, intrares, rerumque tuarum illic donationem emitteres, domos & hortos intra civitatem, seu terras sationales, vel vineas in fundo; sicut nos docuisti, Carsiniano, pariter & portiones tuas in fundo Fulloniaco, *vel ex aliquibus mancipiis tuis, quibus ante concessa a te libertas est*, VERBO LARGITUS ES; *ipsa quoque donatio licet possit jure subsistere, praecipue in hoc quod ab illis tribuitur, qui cum pompis suis saeculum relinquentes, ad Dei se eligunt conferre servitium: tamen, ne quid futurum tempus oblivionis nubilo huic derogare quicquam valeat largitati*, SCRIPTURAE *hoc desideras tradere monumentis: quod ut queat robustum existere, a nobis tibi poscis dari licentiam. Idcirco hujus praecepti nostri pagina liberam tibi hoc faciendi concedimus facultatem.*

XIII. Longiusculum Gregorii testimonium integrum recitare libuit, ut inde palam fieret, donationes verbo tantum confectas, scriptis confirmatas fuisse, ut valerent apud posteros: quum forte solum vivo donatore eis robur inesset, nisi actio sollemnis scripto protestaretur. Hinc Hugo Capetus apud Mabillonium libro sexto capite CXLII. in diplomate pro confirmatione bonorum coenobii sancti Vincentii Laudunensis, ait, quae eidem monasterio *sine scripto contradita* fuerant, se regia auctoritate per suae *jussionis praeceptum corroborare, ut propulsis omnibus contrarietatum obstaculis, quiete viventes monachi*

ibidem deputati libere divinam religionem tenere valeant. His omnibus colophonem addant leges Alamannorum a Rege Theoderico Chlodovei Magni filio primum jussae, ubi res suas ecclesiae tradere volens, ut hoc per instrumentum confirmet, his verbis praecipitur capite primo §. I. *Qui hoc voluerit facere, per chartam de rebus suis ad ecclesiam ubi dare voluerit, firmitatem faciat, & testes sex vel septem adhibeat, & nomina eorum ipsa charta contineat*. Et capite secundo §. I. *Si quis liber res suas ad ecclesiam Dei dederit, & per chartam firmitatem fecerit, &c.*

XIV. Utque morosae disputationi finem imponam, suismet jaculis Germonius jugulabitur, si ostendero eosdem Ripuarios, ad quos tanquam ad asylum ipse confugit, scripto, ubi commodum id fieri poterat, non autem verbo duntaxat, donationes suas perfecisse, quod tamen ipse ex eorum legibus titulo LX. §. I. se elicere existimat: ubi quidem sancitur, ut testium certus numerus, non in donationibus, ut ipse obiicit, sed in bonorum possessione accipienda adhibeatur: nec vero semper, sed tunc solum quum Ripuarius *testamentum accipere non potuerit*, idest chartam & instrumentum, quemadmodum titulo praecedenti §. VIII. explicatur his verbis: *Si quis in judicio interpellatus chartam prae manibus habuerit, nulla ei malo ordine invasio requiratur: quia dum interpellatur, respondeat ad interrogationes*,

nes, *&* *sine tangano* (ideſt juramento) *loquatur* *&* *dicat*: *non malo ordine*, *ſed per teſtamentum hoc teneo*. Ergo chartis & teſtamentis, ſive inſtrumentis, non verbo tantum res agebantur apud Ripuarios. His omnibus illud accedit, quod lex illa de teſtibus adhibendis non ita accipienda videtur, ac ſi ſcriptum & inſtrumentum excludat, ut interpretatur Germonius, ſed tanquam coram Notariis teſtes illos adhiberi praecipiens. Hoc erui puto ex eodem titulo LIX. §. I. ubi haec habentur: *Si quis alteri aliquid vendiderit*, *&* *emptor teſtamentum venditionis accipere voluerit*, *in mallo* (nempe in judicio) *hoc facere debet*, *&* *pretium in praeſente tradat*, *&* *rem accipiat*, *&* *teſtamentum publice conſcribatur*. *Quod ſi parva res fuerit*, *ſeptem teſtibus firmetur*, *ſi autem magna*, *duodecim roboretur*. Haec autem leguntur §. VII. *quod de venditione conſcripſimus*, *hoc* *&* *de donatione conſtituimus*. Quis ergo inficias iverit, donationes ſcripto factas apud Ripuarios, & teſtium numerum ad chartas eſſe referendum?

CA-

CAPUT IV.

Leges Chlotarii & Ludovici Pii perperam a Germonio explicatae. Cur veteres chartae aliquando pessundatae. Earundem pretium & usus. Chartae ecclesiae Remensis. Diplomata Forojuliensia.

I. Nequid consulto videar praevaricari, silentio praeterire non possum quod Disceptator leve omnino & captiosum adducit ex Placitis Chlotarii & Ludovici Pii ad evincendum, post triginta annorum possessionem nullis deinde chartis in judiciis opus fuisse; quasi nimirum exacto ejusmodi spatio nemini amplius fas fuisset litem contestari, nisi quando de injusto possessionis initio constitisset. Ita quippe natura sumus comparati, ut in spartam, quam semel infeliciter ornandam suscepimus, quaecumque obversantur, obtorto collo trahamus. Verum quidem est Chlotarium in Constitutione generali §. 13. tomo primo Capitularium col. 9. anno sexagesimo supra quingentesimum sanxisse, ut post triginta annorum possessionem, & jus inconcussum, ecclesiis, clericis, & provincialibus *in eorum ditione res possessa permaneat: nec actio tantis aevi spatiis sepulta, ulte-*

ulterius contra legum ordinem sub aliqua repetitione consurgat, nonnisi *intercedente tamen justo possessionis initio*. At non ideo Rex Chlotarius veteres chartas, in quibus eadem jura servantur, jubet pessundari, & nulli amplius usui deputari; alias si quis injustum possessionis initium caussaturus consurrexisset, quo pacto ecclesiae, clerici & provinciales illud sartum tectum servassent? Quo pacto jura legitima adversus iniquos usurpatores tueri potuissent?

II. Nequicquam majus eruitur ex Capitulari Wormatiensi per Ludovicum Pium anno undetricesimo supra octingentesimum conscripto in eodem tomo primo col. 665. num. 8. ubi decernitur, *ut de rebus ecclesiarum, quae ab eis per triginta annorum spatium sine ulla interpellatione possessae sunt, testimonia non recipiantur*. Si ecclesias triginta annorum spatio nunquam interpellatas, ad possessionis suae jura exhibenda, amplius non obligari praecipit Ludovicus, quid inde contra antiqua diplomata? Nunquid reliqui vetantur post triginta annos easdem interpellare & cogere ad possessionis suae jura exhibenda? Quid ergo, si jurium alienorum invasores, possessionis ejusdem diuturnitatem in dubium revocare tentaverint? Quid si ecclesiarum bona, ut saepe accidit, ab injustis raptoribus specie recti usurpata distrahantur? Nunquid ad judicum subsellia sine antiquorum jurium tabulis res agenda? Haec autem nunquid in diplomatibus & instrumentis,

tis, nunquid in scriniorum penetralibus non recondebantur? Hoc de triginta annorum spatio praescriptionibus adsignato, non solum in Chlotarii & Ludovici constitutionibus praeceptum fuit; sed hodieque ex jure civili deductum ubique observatur: & tamen nemo, nisi delirus & mente captus, post triginta annorum possessionem instrumenta sua & diplomata, tanquam deinceps inutilia, negligenda & despicienda esse arbitrabitur.

III. Nisi vero chartae ultra spatium triginta annorum ulli usui fuissent, inepte omnino egisset Pippinus Rex Francorum in diplomate monasterio Frigiacensi apud Dacherium in Spicilegio tomo decimo tertio pag. 256. ubi se confirmare ait illa, quae *ab antecessoribus* suis, *& aliis bonis viris* collata erant, de quibus *instrumenta chartarum perdita sunt, ita ab habitatoribus hujus loci per hanc nostram auctoritatem possessa firmentur, perdita revocentur, sicut per eadem instrumenta, si perdita non fuissent, legibus defendi poterant*. Inepte etiam egisset Chlodoveus I. qui teste Bertholdo monacho in vita sancti Maximini in Saeculo primo Benedictino pag. 593. Euspicio cuidam duo praedia largitus est, atque, ut *regio dono perpes maneret memoria, chartae mandatum est sub nomine regis, ac beati Maximini*. quod diploma Mabillonius repraesentat ex Spicilegio Dacheriano. Hinc ergo satis patere puto, Chartas & diplomata non pro viginti aut triginta anno-

annorum usui, sed in perpetuam memoriam semper apud posteros duraturam tradita fuisse, & proinde in Tabulariis tantopere custodita. Nondum finio quin ad haec confirmanda unicum exemplum adducam ex diplomate autographo Ottonis Magni Imperatoris mihi liberaliter concesso a Paullo Alexandro Maffejo equestris ordinis viro, & Raphaëlis Volaterrani gentili, cujus eruditionem ipse etiam repraesentat. in eo enim diplomate Petrus Volaterranus episcopus *varias* bonorum ecclesiae suae *occupationes*, *invasiones*, *atque diminorationes tam sub occasione libellorum*, *quam etiam diversis*, *superfluisque violentiis in rebus seu familiis*, *lacrymosis querimoniis* apud eundem Imperatorem detulit, ferens *prae manibus Augustalia divae memoriae piissimorum Imperatorum Ludovici & Karoli*, *Berengariique*, *seu Hugonis & Lotharii praecepta de integritate*, *atque immunitate & perhenni suae ecclesiae tuitione priscis suis praedecessoribus emissa*, *quae vi rumpere pervasores pertinaci animo non timuerunt*; quaeque idem Otto suo diplomate confirmat, quod integrum dabimus in fine operis. Si vero antiquae donationum tabulae post triginta annorum spatium nulli amplius usui aptari poterant, cur idem Volaterranus antistes diplomata a Ludovico, Carolo, Berengario, Hugone, & Lothario per suos praecessores impetrata, atque olim diligentissime custodita, pro suis juribus tuendis detulit ad Ottonem Imperatorem?

IV. Alia hujusmodi exempla passim occurrunt aperienti Bullarium Casinense, ubi tomo altero pagina 30. Ludovicus II. monasterio Bobiensi antiquissima privilegia sibi exhibita confirmat, nempe Agilulfi, Adrevaldi, Grimoaldi, Chuniperti, Luitprandi, Ratchisii, Haistulfi, & Desiderii Regum Langobardorum: item Caroli Magni, Ludovici Pii, & Lotharii. Hugo I. & Lotharius II. idem agunt pag. 42. de privilegiis Bobiensibus sibi oblatis, Rotharii nempe, Ariperti, Luitprandi, Caroli Magni, Ludovici Pii, Lotharii I. & Ludovici II. Sic quoque pag. 34. Carolomannus Rex Italiae monasterio sancti Salvatoris Brixiae confirmat privilegia Caroli Magni, & *omnium antecessorum* suorum. Sic denique pag. 27. Lotharius eidem monasterio Bobiensi confirmat privilegia Caroli Magni, & Ludovici Pii, *quatenus ipsa concessio & confirmatio stabilis, inviolabilisque futuris temporibus permaneret.* At cur Bobienses per tot annorum, immo & saeculorum curricula eadem privilegia in Archivis suis custodierant; atque iterum *pro futuris temporibus* post tot annos ea confirmari, & recognosci curaverunt, si triginta annorum spatio elapso pro inutilibus omnino reputabantur?

V. Nihilominus Disceptator ex iis Chlotarii & Ludovici praeceptis illud se conficere existimat, quod nempe *longi temporis possessio minime controversa, chartae loco erat & instrumenti*; & quod

quod haec ubi *desiderabatur*, *frustra erant veteres chartae & diplomata*: in quam rem infortunium Remensis ecclesiae clericorum adducit, *qui ad extremam inopiam redacti*, *non confugerunt ad veteres chartas*, *ut erepta bona ab injustis possessoribus repeterent*; sed, ut ait Hincmarus, *victum negotio quaesiverunt*, chartis veteribus, diplomatibusque ita contemptis, si credimus interpreti Germonio, ut *illis*, *sicut & librorum foliis denarios ligarent*, *quos mercimonio conquirebant*: quae tandem hoc epiphonemate claudit: *usque adeo certum est veteres chartas & diplomata vetera contra multorum annorum possessionem parum valuisse*! Sic Disceptator momentis illis abutitur, quae in rem suam Mabillonius adduxerat libro primo capite septimo, ubi variam instrumentorum fortunam & conditionem inquirens, observat ab Hincmaro in praefatione ad vitam sancti Remigii apud Surium die decima quarta Januarii, jacturae chartarum & librorum suae ecclesiae Remensis caussam transferri in aerumnas, quae ex Milonis pseudo abbatis intrusione sunt consequutae; quasque illacrymans dolenti stilo Hincmarus ita describit: *Cujus* (nempe Milonis) *infelici tempore de ista Remensi ecclesia non solum pretiosa quaeque ablata fuerunt*; *sed & ecclesiae atque domus religiosorum destructae*, *& res ab episcopo divisae*. *Illi quoque pauci*, *qui erant residui clerici*, *negotio victum quaerebant*: *& denarios quos*

mercimonio conquirebant, *in chartis & librorum foliis interdum ligabant*; nimirum non ſua ſponte, ſed lugenda illa viciſſitudine in deſperationem adacti eam cladem & ruinam literatis membranis Remenſes clerici intulerunt.

VI. Quare tantum abeſt, ut ſenſus Germonianus hinc elici poſſit, ut omnino contrarium appareat; nam Hincmarus vir ſuo aevo ſapientiſſimus hujus chartarum excidii damnum maximum, & irreparabile mente percipiens, tempus, quo haec acciderunt, *infelix* appellat. Neque a clericis, tanquam chartarum contemptoribus, utpote qui eas nulli uſui accommodatas certiſſime agnoſcerent, ea pernicies in Remenſem eccleſiam manavit, ſed ab iniquo Milone, qui omnia deſtruxit. At neque ea temporis calamitate univerſa privilegia & inſtrumenta eccleſiae Remenſis evanuerunt; quippe Manaſſes ejusdem eccleſiae metropolita in epiſtola ad Gregorium VII. in Conciliis Labbei tomo decimo col. 363. mentionem facit de *privilegiis*, *aliisque ſcriptis* anteceſſorum ſuorum *ad poſterorum memoriam* ſibi relictis: & ante ipſum Frodoardus in hiſtoriam Remenſem ex iis multa conjecit. Quorſum ergo rem detorquet Germonius dum unius aevi, & unius eccleſiae infortunium ad omnes reliquas mente laeva populabundus extendit? Addere etiam poterat quod de Gaidulfo Ravennate ſcribit Odo Glannafolienſis abbas in hiſtoria translationis ſancti Mauri Saeculo quarto

quarto Benedictino parte altera pag. 169. num. 5. ipsum nempe exsecrabili odio in monachos Glannafolienses inflammatum, *omnia testamenta, quorum auctoritate rerum cunctarum eidem loco collatarum constabat delegatio, sollicite* perquisita, partim cremasse, partim in Ligerim projecisse: quam nefandi hominis barbariem justis diris insequitur Odo.

VII. Posthaec, tanquam re strenue gesta, Disceptator exultans alia incredibilia sophismata congerit pro certo habens in tanta custodum multitudine, licet omnes fuissent vigilantissimi, non omnium tamen fidem suspicione liberam exstitisse: abbates praeterea laicos de retinendis autographis non laborasse: loca unde pleraque Mabillonii archetypa prodierunt incendiis & praedationibus vastata, ita ut prodigii instar reputari possit, aedificiis attritis & convulsis, diplomata superfuisse, aut a monachis alio translatas tabulas, *quibus perditis, tamen scirent, sedato tumultu, fore sibi integras suas possessiones*. Exstare quidem non diffitetur in ecclesiarum & monasteriorum archivis *chartas barbaro quodam & obsoleto scripturae genere in cortice & in membranis exaratas: quae priscorum Franciae Regum nomen praeferunt, ut habeant speciem antiquitatis*. Hoc ultro concedit Germonius, sed, quod caput rei est, *chartas ipsas, quae speciem habent antiquitatis reipsa antiquas esse & genuinas, neque ex illarum numero, quas falsarii ad verarum similitudinem*

per

per summum scelus confinxere, hoc nusquam a Mabillonio probatum; quod tamen probandum erat tum quia chartae illae, si verae essent, haberi nunc integrae facile non possent; tum quia mentitas pro certis supponi facillimum fuit. Ita ex suopte ingenio Germonius disceptat, nulli auctorum veterum testimonio, nulli erudito homine dignae rationi innixus: & merito sane, quis enim scriptor, quaeve ratio uspiam reperiri queat, unde in hujusmodi cavillationes suffragium & pondus derivari possit?

VIII. Sane mirificum est, falsa instrumenta a custodibus conficta pro iis veris & indubiis, quae ipsi vigilantissime in Archivis tuebantur: atque eadem adulterina & fictitia pluris aestimata fuisse quam vera, ita ut his ultro despectis & pessundatis, clerici & monachi suppositicia custodire maluerint! Mirificum itidem est, abbates laicos legitima & vera diplomata abjicere & aspernari debuisse non alia de caussa, quam quia ipsi regulares non erant; hocque non in unico tantum loco, monasterio, aut ecclesia accidisse, sed in universis provinciis Europae ubi adhuc prisca instrumenta servantur: neque ideo tamen ab ullo unquam magni hujus facinoris mentionem factam! Sed omnem admirationem superat, quod excidia & vastationes ab ecclesiarum & monasteriorum veteribus monumentis alio asportandis clericos & coenobitas ideo duntaxat absterrere debuerint, quia possessionibus recuperandis minime conducebant.

IX.

IX. Contra haec, licet ſponte ſua ruant, ego tamen domeſticum exemplum opponam. Inter omnes Italicas, & exteras provincias, ut puto, nulla unquam vaſtationibus & ruinis magis patuit, quam regio noſtra Carnorum, ſive Aquilejenſis, quae nunc vocabulo Langobardicae ſignificationi accommodato, *Patria* Fori Julii vocatur: ex cujus proximis Alpibus, tanquam ex clauſtris Italiae, uti eas appellat popularis noſter Rufinus, prodierunt quotquot borealium nationum peſtes iratis ſuperis univerſam Italiam inundarunt. Aquileja ipſa *omnium ſub occidente urbium maxima*, ut verbis utar Juſtiniani in praefatione ad Novellam Conſtitutionem undetriceſimam, quoties direpta, exciſa & funditus deleta non ſolum ante, ſed etiam poſt ſaeculum decimum? & nuper anno quoque proxime elapſo MDCCIII. in ipſas ejus ruinas ingloriis flammis ſaevitum. Et tamen, dicam rem Germonio incredibilem, nobis adhuc ſupereſt longa Imperialium diplomatum ſeries, Patriarchis Aquilejenſibus conceſſorum, a Carolo Magno ad Carolum IV. Imperatorem. In Urbe ipſa Forojulienſi, quae poſt Aquilejam ſolo aequatam fuit provinciae faſtigium, cui nomen ſuum poſtea communicavit; licet exterorum incurſionibus, incendiis, & bellis domeſticis ſaepius fuerit concuſſa & attrita, nihilominus duplex tabularium, Civitatis nempe, & eccleſiae innumera inſtrumenta cuſtodit; & quidem in altero ſunt codices octavi ſaeculi,

saeculi, liber Euangeliorum sexti saeculi; chartae veteres & bullae Pontificiae ab undecimo saeculo frequentissimae, unde historia Forojuliensis & infimi aevi valde illustrari potest.

X. At neque unam Forojuliensem provinciam, sed omnem Italiam haec infortunia percusserunt; & tamen ubique plurimae veteres chartae, cladibus & flammis ereptae, integrae remanserunt, quarum auxilio ecclesiasticos Annales, urbium historias & monumenta, ditari & reparari cotidie videmus. In primis vero rem politicam tam sacram, quam profanam, rem item ritualem, uxoriam, geographicam, chronologicam, genealogicam, heraldicam, militarem, feudalem, agrariam, monetariam, mechanicam, & vestiariam nobis eorundem Archivorum, & tabularum subsidia declarant. Inde aperiuntur contractuum, & pactorum sollemnitates, judiciorum, foederum, & pacificationum formae, ministeriorum rationes, dominiorum origines, populorum consuetudines, & subjectiones Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Vicecomitibus, Graphionibus, Centenariis, Sculdasiis, Valvassoribus, Cattaneis, Gastaldionibus, Vassis, Missis, aliisque subalterni ordinis ministris. Quare, hujusmodi sequioris aevi instrumentorum utilitate perpensa, hic lubet apponere, quod vir in iis eruderandis solertissimus Samuel Guichenonius scriptum reliquit in praefatione ad Bibliothecam Sebusianam, quam ipse veteribus chartis

tis refertam vulgavit: *utinam*, inquit, *e singulis Regni provinciis prodirent plures, qui hujuscemodi historiae rudera e tenebris eruerent.*

XI. Sed has chartas obsoleto charactere & sermone a falsariis ad verarum speciem confictas objectat Germonius; & veras haberi neutiquam a Mabillonio probatum fuisse contendit. Si ergo verae supererant quum ad illarum exactam similitudinem confictae sunt falsae; nulla omnino fuit caussa easdem confingendi, dum verae & indubiae prae manibus habebantur, quibus id certo obtineri poterat, quod falsis frustra, aut periculose obtinere tentatum fuisset. Haec mihi cogitanti succurrit quod nuper amicus doctus in hanc rem festive narrabat; se nimirum in hominem, & quidem professione theologum incidisse, qui alacri & prompto ore, tanquam pro aris & focis acerrime contenderet, artem typographicam ab usque temporibus Prophetarum semper ubique gentium viguisse, & sacra Biblia, omnesque veteres libros, qui hodie manibus teruntur, per eandem artem ad nos fuisse transmissos: neque ullis rationibus & argumentis in contrariam sententiam illum omnia negantem trahi potuisse. Sed si ille in ea est haeresi, quid inde? Nunquid propterea satis superque probatum non fuit, artem typographicam duntaxat saeculo decimo quincto primum repertam?

Hoc quo pertineat dicet qui me noverit.

CAPUT V.

Maxima vigilantia adbibita contra falſarios, & poenae iisdem inflictae. Diplomata ſpuria ex antiquitus confictis nulla ſupereſſe oſtenditur.

I. NOn omnia ſane tricarum & ſophiſmatum plauſtra, in priori capite Germonius exoneraverat, niſi in altero quoque id amplius exequi perrexiſſet ubi ex variis Mabillonii adnotationibus in unum corraſis, quibus vir antiquitatis conſultiſſimus ſuperiorum aetatum falſarios candide & accurate recenſuerat; inexſpectatam ſententiam ſpecie ſuſpicantis educit; eorundem ſcilicet farinam eſſe quotquot diplomata idem Mabillonius, qui nil molitur inepte, tanquam aurum omnì ſorde purgatum expoſuit. Utque ſuſpicionibus ſuis alienas aures facile accommodet, chartas primum Labbeanas, & Doubletianas, quas omnes ex autographis deprómptas nemo affirmat, neque ex iis nonnullas interpolationis vel erroris expertes eſſe quis refragatur, cenſorio greſſu percurrit: quumque Anglicis, Belgicis, & Germanicis manus intentaſſet,

ſet,

ſet, projectus ad audendum uno verbo rem expedit, omnia tabularia falſis chartis foedata, ideoque omnia ſuſpecta, omnia dubia, ſicuti domos ſpuriis infantibus deſtinatas nullum non illegitimo thoro natum habitare abſque injuria cenſemus. Hoc pacto rem univerſam egregia ſimilitudine illuſtratam abſolvit. Cur vero tanta diplomatum ſtrages per Germonium patrata? quia Mabillonii *erat diplomatum, quae protulit veritatem probare: non probavit: remanent illa ſuſpecta & dubia.*

II. Belle profecto. Valete ergo incorrupti Religionis interpretes, quos honoris cauſſa Patres appellamus: quia inter vos mendacium ſcriptorum monſtra illuſtrium virorum nominibus laruata delituerunt, omnes ad unum eſtis veteratores. Gelaſius, ſive is Hormisdas, fabuloſas apocryphasque ſcripturas quamplurimas gravi conſilio damnavit; omnia ergo illius & priorum aetatum eccleſiaſtica monumenta ſua fide laborant. Quia nulli, aut rariſſimi eorundem Patrum codices pſeudoepigraphis vacant, utique univerſa eorum ſcripta inter dubios, aut adulterinos foetus adnumeranda. Quid? Apoſtolica ſcripta, de quibus dubitare piaculorum maximum eſt, audacter rejicienda, quia legebant *ſcripturas apocryphas Manichaei, a neſcio quibus ſutoribus fabularum ſub Apoſtolorum nomine ſcriptas*, ut ait Auguſtinus libro altero & viceſimo, capite undeoctogeſimo contra Fauſtum; & quia nu-

gacissimae Paulli & Theclae Periodi, totaque Leonis baptizati fabula a presbytero Asiano confictae fuerunt, ut refert Hieronymus in Catalogi capite septimo.

III. Quo longius provehimur, non solum erroribus, sed etiam oblivione mirum est Germonium hoc magis proficere; quippe immemor, a se pridem centies dictitatum, antiquitus vera instrumenta post triginta annorum possessionem inter inania procul a tabulariis abjecta; postea non animadvertit quod contra seipsum pugnat, dum in ipsis tabulariis tantam commenticiorum diplomatum struem acervat: tot enim chartis ad ipsorum originalium similitudinem per maleferiatos artifices operosissimi stellionatus crimine passim confictis; ineptum & insanum omnino fuisset hominibus illudere, easque per tot saecula in tabulariis servare, nisi eaedem ultra triginta annorum spatium judicialibus caussis jus, & robur suppeditassent. Tempus nos deficeret, si eodem pacto singula absurda, quae ex fallacibus Germonii argumentis nascuntur, commemorare vellemus. Attamen hoc loco ostendendum est, ex diplomatibus & instrumentis adulterinis antiquitus fabrefactis nulla, vel quampaucissima sine larua detracta ad nos pervenisse: quod ut evincam, recensendum est quibus poenis in falsarios variis temporibus animadversum; & qua vigilantia & rigore chartae suppositiciae, obliteratae & expunctae, ita ut omnino incre-

incredibile ſit, eas potuiſſe ad ſeram poſteritatem tranſmitti; aut ſpurias, quae hodie circunferuntur, eſſe antiquiſſimas.

IV. Et quidem Theodericus Chlodovei Magni filius ineunte ſaeculo ſeptimo leges condidit tomo primo Capitularium col.44. quae Cancellario *falſati teſtimonii* auctori pollicem dexterum abſcindi,& chartas falſas *in judicio perforari* juſſerunt. Lotharius Auguſtus in Codice Lindenbrogii pag.662. itidem de ſcriba falſatore ſtatuit, *ut nulla ei redemptio concedatur, ſed manum propriam amittat, & oſtenſor ipſius chartulae poſt rerum amiſſionem widrigild* (ideſt multam) *componat*. Sub medium ſaeculum octavum Godefridus notarius *propter multas chartulas falſas* bonorum proſcriptione multatus eſt ſub Arichi Duce Beneventano in chronico ſanctae Sophiae apud Ughellum tomo octavo col.579. Et in Concilio ſecundo Sueſſionenſi anno octingenteſimo quinquageſimo tertio a Carolo Calvo accuſatus eſt Ragamfridus Remenſis diaconus *quod praecepta falſa regio nomine compilaſſet*,tomo altero Capitularium col.52. Eodem tempore in conventu Ticinenſi contra chartas, *quae a quibusdam perſonis falſae appellantur* cautum eſt, ibidem col. 350. quo pacto etiam in canone triceſimo Concilii Triburienſis apud Burchardum in Decreti libro primo capite ducenteſimo viceſimo conſtitutum eſt, ut presbyter, ſive diaconus, *qui redarguitur falſam ab Apoſtolica Sede detu-*

liſſe

lisse epistolam, *vel aliud quid*, *quod inde non convenerit*, in carcerem, aut in aliam custodiam detrudatur. Otto autem Magnus apud Lindenbrogium pag. 663. non solum edixit, ut charta, quae ab adversario falsa esse deferebatur, tactis sacrosanctis Euangeliis vera probaretur; sed etiam, ut accusator duello, tanquam purgatione canonica, rem ipsam adstrueret. Neque solum duello, sed & ferri candentis judicio chartae veritatem probatam apparet ex Notitia Odonis Comitis apud Mabillonium Saeculo quarto Benedictino parte prima pag. 765.

V. At neque adeo lippi, & oculis capti fuerunt homines saeculi undecimi, ut chartas adulterinas pro veris sibi impune supponi permiserint; nam si quae tunc a nebulonibus productae, fraus vix orta statim deprehensa est, & jugulata. Sic Innocentius III. qui libro quarto epistola decima editionis Bosqueti, falsarium perpetuo carceri mancipavit *pane doloris*, *&* *aqua angustiae sustentandum*; libro altero epistola octogesima secunda editionis Baluzii pag. 391. ait in Concilio Santonensi sub Gregorio VII. explosas fuisse literas a clerico Dolensi falsatas: idemque Gregorius VII. libro primo epistola tricesima tertia in Conciliis Labbei tomo decimo col. 32. Dordonensium monachorum privilegium Alexandro summo Pontifici suppositum, ex corruptione latinitatis detectum confixit. Leo IX. apud Victorem III. de miraculis sancti Benedicti libro tertio capite altero,

ro, aqua & igni interdixit Gibertum quendam, qui *Apostolicae Sedis Cancellarium, ut sibi furtivas literas & Apostolico sigillo signatas*, ad suum episcopum deferendas tribueret, subornare tentaverat. Denique Petrus Blesensis in fine epistolae duodeseptuagesimae ad Alexandrum III. nomine Richardi Cantuariensis conscriptae, loquens de abbate Malmesburiensi, *nec illius*, inquit, *admittatis privilegia donec manifeste liqueat ex collatione scripturae & bullarum quo tempore, & a quibus Patribus sint indulta*.

VI. Si ergo temporibus illis, quibus in rerum dignoscendarum peritia & acumine nostra haec eruditissima & acerrima quam longissime antecellunt, tanto examine, tanta vigilantia, & rigore ubique gentium cautum est, ne falsae tabulae pro genuinis consilio praepostero obtruderentur; & si quae ab ineptis impostoribus prodierunt, statim sunt exsufflatae, & proscissae, immo & *perforatae*, ut fieri praecipitur in legibus Ripuariorum; quisnam adeo vecordis & hebetis ingenii erit, ut sibi facile persuaderi a Germonio patiatur, tot diplomata antiquitus exsibilata & palam rejecta, iterum suscepta larua, per tot saeculorum spatium nihilominus pro sinceris & legitimis cautissime custodita, ad nostram usque aetatem devenisse, criticis primi subsellii pudendum & crassissimum fucum factura, quem rudibus barbari aevi hominibus facere non potuerunt; ita ut uni Ger-

Germonio divinitus datum fuerit merces has plebejas & ſubditicias conclamare, & cornicum oculos configere? Quare vix, ac ne vix ulla pſeudodiplomata ex iis, quae exſtant, remotam antiquitatem referre poſſunt: &, ſi unum aut alterum apographum a Doubleto vel ab aliis prolatum in cortice arboris ſcriptum, vitio interpolationis non ubique ſincerum eſſe deprehenditur; illud idem olim ex legitimo & vero, ſed caduco & pereunte, citra fidei publicae adulterandae voluntatem exſcriptum, ſuppletum, atque interpolatum fuiſſe putandum eſt: qua de re, accurate agit de more Mabillonius in libro primo capite ſeptimo num. II.

VII. Id vero praecipue credibile eſt quum uſus papyri corticèae uſque ad ſaeculum undecimum perſeveraſſe oſtendatur ab eodem Mabillonio ibidem num. XIV. qui libro etiam tertio capite altero num. V. ingenue fatetur, ſe diplomatum *veritatem aut falſitatem non augurari tantum ex materia, quae antiquitatem majorem redolet*; *ſed ex aliis ſimul characterismis, & maxime ex ſtilo*; nec ſe fallendum *ab impoſtoris larua ſub corticis ſpecie, aut ementita ſcripturae antiquitate, ſi cetera non concordent*; quae ſane tot ſunt, ut omnia in adulterino inſtrumento una inter ſe adamuſſim collineare nunquam valeant, quia fraus & mendacium latere non poſſunt.

VIII. Noſtrae ſententiae quamproxime acce-
dit

dit Petrus Franciſcus Chiffletius inter eruditiſſimos Societatis Jeſu ſcriptores poſt Sirmondum & Petavium omni laude cumulandus. is enim in Illuſtrationibus Claudianis tomo primo Junii Bollandiani pag. 686. num. 90. ait, ſiqua occurrunt interpolata diplomata, *quod* PERRARO *hactenus factum* ſe deprehendiſſe affirmat *in plurimarum eccleſiarum*, quae evolvit *Archivis*; id *priorum temporum magis ſimplicitati, quam nequitiae adſcribendum; praeſertim cum ejusmodi interpolatae ſcripturae adeò plerunque incaute adornatae ſint, ut prudenti cuique, & in obſervandis chronicis characteribus vel leviter verſato ſeipſas prodant, ac ſuis auctoribus vel propugnatoribus plus moleſtiae & pudoris, quam utilitatis creent*. Huic veritati ſuo ingenuo ſuffragio palam manus dare pro ſua modeſtia non erubuit optimus Papebrochius; hoc pacto ſententiam, in qua olim fuerat ultro emendans in Annotatis ad easdem Illuſtrationes, & ſe deinceps magis emendaturum ſincere pollicitus: quam tamen ſententiam ut novis, nec prius auditis erroribus Germonius cumularet, ab auctore ſuo quanvis pene extinctam, e tumulo infauſtis avibus denuo revocare non dubitavit.

CAPUT VI.

Germonius nullam artem tradit vera diplomata ſecernendi a falſis. Mabilloniana unde eruta. Autographa Dagobertinis antiquiora adbuc ſuperſunt. Anachroniſmus chartae Lindavienſis Ludovico Pio Imperatori adſcriptae.

I. QUis unquam putaſſet quod Germonius conſulto conſilio lectoribus ſuis illudere voluiſſet, in fronte Diſceptationis ſuae ſe acturum pollicitus *de veteribus Regum Francorum diplomatibus, & arte ſecernendi antiqua diplomata vera a falſis*: quem egregium titulum in ſingulis paginis etiam iteravit? Et tamen (Dii veſtram fidem!) tam verum eſt quam quod veriſſimum, ipſum nullam prorſus artem tradere voluiſſe praeterquamquod non ſecernendi antiqua diplomata vera a falſis. etenim diſerte fatetur in inſcriptione capitis tertii, *vetuſtiora diplomata vera vix poſſe, ut nunc res ſunt, certo ſecerni a falſis*: quam ſubinde doctrinam abſurdam & ex tabulis literariis undique eliminandam, ſuis etiam ratiunculis de more, ut videbimus, tueri & adſtruere conatur. At ſi reapſe vera

vera diplomata secerni a falsis non possunt, cur tanto hiatu artem ea secernendi Germonius se traditurum promiserit, aliis divinandum relinquo. Non diffitetur, quae ejus est humanitas, signa haberi *certissima*, quibus diplomatum falsitas innotescit; *sed*, inquit, *veritatis detegendae ratio non est eadem*, *quae falsitatis*, quum chartae falsae habeantur, quarum indicia falsitatis nusquam apparent ob versutiam, qua usi sunt earum artifices. Hoc pacto quotquot diplomata legitima & vera circunferuntur, utique sunt in apocryphorum censum rejicienda ob caussam profecto scepticam, & perceptu quamdifficillimam; quia scilicet nulla in iis indicia falsitatis apparent: itaut quanquam ita rem esse oculatissimi viri deprehenderint, nemo temere, neque universae antiquitati contumeliam facturus, ea incerta & dubia reputaverit, utut levissimo momento innixus, quod *veritatis detegendae ratio non sit eadem*, *quae falsitatis*.

II. Rem dissolutam, divulsamque conglutinare molitur Germonius crambe toties recocta, quod dubia nempe & suspecta jure habeantur autographa Mabilloniana, *quia nonnisi aegre fieri potuit*, *ut vetustissima autographa a remotissimis temporibus ad nos usque integra pervenerint*; & quia eruta sunt ex locis ubi *magna est spuriorum diplomatum copia*: quibus deinde acrior factus ista subjungit: *Chartas deprome ex Tabulariis publicis*, *aut ex iis*

ſaltem, quae contra falſariorum perfidiam ſemper munita fuerint: atque illas, ſi vitio careant, vendita pro indubitatis; exige a nobis agnoſci ut veras. Sed quandiu chartas ex eadem officina educes, in qua fateris permultas eſſe vitiatas, interpolatas, adulterinas; noli certas dicere & indubitatas, priusquam tales eſſe probaveris. Quia vero in ſecundo capite hanc eandem rem ſe pene eviciſſe putavit egregia illa ſimilitudine a domibus ſpuriorum infantium deducta; hic iterum illud urget altera item ſimilitudine aeque ac illa feſtiva & arguta, dum chartas veras ex ſcriniis ubi adulterinae latitant extractas, ejusdem eſſe conditionis affirmat, atque homo inter praedones deprehenſus, qui licet nullo ſcelere convictus; ſuſpectus tamen habetur donec ſuſpiciones in prava ſocietate contractas a ſe fuerit amolitus.

III. Profecto ſi res diplomatica locis rhetoricis & ſimilitudinibus expenderetur, actum foret non ſolum de inſtrumentis Merovingicis & Carolinis; ſed de potioribus ſacrae antiquitatis exuviis, & praecipue de legitimis & ſinceris bullis, ut vocant, & epiſtolis decretalibus ſummorum Pontificum, quas una cum ſpuriis & apocryphis olim intermixtas fuiſſe nemo neſcit: neque propterea ſtatim ex uno hoc capite tralaticiis mercibus eas quis prudens adnumeraverit. Sed dum omnia vetera inſtrumenta, omnia Tabularia quum publica, tum privata ad unum

frau-

ſraudibus & impoſturis quaquaverſum patuiſſe mordicus Diſceptator contendit, nae ille cum Mabillonio ludit ubi deinde ex publicis Tabulariis ad fidem impetrandam proferri diplomata poſtulat, quaſi id unum argumentum a loco, & non a chartis ipſis petitum fidei iis conciliandae ſufficeret; & vetera inſtrumenta, quae non perpetua annorum ſerie in publicis Archivis ſervata; ſed inde ob varias temporum vices huc illuc diſtracta, & poſtea in privatarum domuum angulis cum blattis & tineis pugnantia, in ſordidis opificum officinis quisquiliarum loco habita, viri harum rerum callentiſſimi a proximo interitu vindicarunt; licet vera, neque ullis falſitatum indiciis obnoxia; attamen pro certis & ſinceris habenda non ſint ob unam hanc cauſſam, quod non ex publicis Tabulariis, ſed ex occultis latebris prodierint. Nimirum ſi quaecumque diplomata jure & injuria Germonius ſugillat, ex eccleſiaſticis & monaſticis Archivis pridem tranſiſſent in publica, quae quidem non raro ex iis conflata ſunt; omnia mixtim ipſi haberentur pro indubiis, hoc reſpectu potiſſimo, quod ex publicis Tabulariis emerſiſſent.

IV. Sed nunquid eccleſiarum Archiva, in quorum adytis ſacrae ſanctiones recondebantur, pro publicis habenda non ſunt? Atqui Mabillonius nonnulla diplomata ex hujusmodi Archivis educta vulgavit, & prae ceteris in tabula XXVI. num. 2. pag. 394. autographum Ludovici Pii ex Archivo cathedralis eccle-

ecclesiae Senonensis, a viro gravissimo Achille Harlaeo secum communicatum. Diplomata Johannis V. & Sergii I. in tabula XLVI. pag. 436. excepta sunt ex archetypis a Senatu Divionensi recognitis. Diploma Ravennatis ecclesiae in tabula LVIII. pag. 460. erutum est ex bibliotheca Caesarea, qua augustior locus nominari non potest. Alia demum ex aliis chartophylaciis, quae publica reputantur, utique prodierunt: unde Germonius, si in Sandionysianum irato impetu saevire in animum induxerat, reliquis saltem hanc ob caussam, qua sibi delicias facit, mitiorem se ostendere debuisset.

V. Verum quum superius capite tertio num. VI. ipso licet inficias eunte, ob oculos positum sit, antiquitus semper duplex, & plura etiam ejusdem tenoris autographa diplomata conscripta; quorum alterum illi, cujus caussa instrumentum procudebatur, exhibitum; alterum vero inter civiles chartas Tabularii Palatini reconditum: cur fieri non potuit, ut autographa a Mabillonio recitata, sint haec posteriora, quae ex Archivis Palatinis, annuentibus quibus id curae erat, in monastica Tabularia, & praecipue in regium Sandionysianum, prioribus illis autographis deperditis, tempore elapso transierint? Esset ne hoc paradoxon Germonianis axiomatibus aequiparandum?

VI. Exsequitur coeptum propositi ordinem Disceptator, nullas penitus notas haberi contendens,

dens, quarum ope antiqua Diplomata *fincera a falfis certo difcernantur*, quoniam figilla, chirographa, characteres olim ars falfariorum corrupit; neque manus & fcriptura Notariorum feptimi, octavi, & noni faeculi agnofci poffunt. Hanc fubinde fententiam triplici diplomate, Childebertino, Dagobertino, & Chlodoveano adftruere conatur; quibus nullam auctoritatem addunt aut cortex, in quo fcripta funt, aut figilla, vel fubfcriptiones; eo pacto, quo nec forma fcripturae aut figilli, nec notae chronologicae, monogramma, & notarius quicquam addiderunt privilegio Lindavienfi, quod peculiari Cenfura perftrinxit Hermannus Conringius.

VII. Nullus tamen ego dubito quin Mabillonius hos verborum acervos, & quotquot ejusmodi confingi poffunt, miffos facturus fit, utpote qui in genuinis figillis, characteribus, & ceteris diplomatum notis cognofcendis atque tractandis ftudium fuum omne pofuit; nunquam tamen in uno cortice, figillis, ceterisque a Germonio connumeratis rei diplomaticae omne punctum conftituens, quando chartae ipfae aliunde foedis prochronismis & anachronismis interpolatae & vitiatae reperiuntur, ut funt eae, in quibus perfpicacia Germonii nullos inde habitura triumphos, fe exercet ad verorum diplomatum auctoritatem omnem iis caducis fubfidiis elevandam.

VIII.

VIII. Quae autem ipse in Labbeo, & in Doubleto vellicat, a nemine unquam pro autographis venditata fuerunt: at neque Doubletus in loco a Germonio indicato ullum diploma Dagobertinum, *in quo cervi ad sancti Dionysii sepulchrum historia narratur*, exhibuit libro tertio pag. 656. historiae Abbatiae Sandionysianae. Et Mabillonius si alicubi scripsit, genuinum diploma autographum nullum a se visum Dagobertinis antiquius, haud tamen propterea scripsit non reperiri: cujusmodi sane est charta Lambeciana, quam serius acceptam edidit in libro quincto pag. 376. Immo alibi disertissimis verbis affirmavit, Dagobertinis longe antiquiora a se visa, & manibus suis contrectata, praecipue vero in Itinere Italico, cujus lectio Germonium errores suos dedocere poterat.

IX. Porro in diplomate, quod monasterio sanctimonialium Lindaviensi ad lacum Potamicum Ludovicus Pius Imperator creditur concessisse, & de cujus sinceritate praeter Conringium, Baluzius, Mabillonius, & Tenzelius dubitarunt; si tot sinceritatis notae concurrunt, quot pridem viri eruditi adnotarunt, ut sunt forma characteris atque sigilli, Ludovici Pii monogramma, & Notarii recognitio; omnes tamen & singulas easdem notas statim exsufflat unus turpis anachronismus Moguntini metropolitae Rabani Mauri, cujus postulationibus diploma illud dicitur impetratum fuisse a Ludovico; quum nonnisi

nonnisi integro septennio a morte ejusdem Imperatoris Rabanus Maurus ex abbate Fuldensi sedem Moguntinam inscenderit, nempe anno quadragesimo septimo supra octingentesimum: quod unum, etsi alia defuissent, satis superque erat ad detegendam inepti mangonis inscitiam & levitatem: nisi tamen idem diploma est *transsumptum*, ut vocant, non autem autographum; & proinde ab exscriptore olim interpolatum, atque alicubi animo simplici restitutum, quum forte in autographo Ludoviciano literae aliquot temporis injuria periissent. Ut ut sit, ejus defensionem contra nonnihil virulentam scriptoris heterodoxi Censuram suscepit Maximilianus Rasslerus Societatis Jesu presbyter eruditus libro edito Constantiae anno MDCXCI. licet eandem Conringii Censuram aliis de caussis iniquam esse ostendisset etiam Mabillonius in libro tertio de re Diplomatica, capite tertio num. 1. quod minime dissimulavit Rasslerus in Defensionis suae capite primo. Pro iis, quae contra diplomatum orthographiam & stilum se congerere minitatur Germonius, in sequentibus capitibus ei sua verba reddemus.

CAPUT VII.

Linguae latinae propagatio. Auſtriae & Neuſtriae in Galliam & in Italiam appellationes introductae. Francorum & Langobardorum lingua & characteres Teotiſci. In Gallia uno tempore lingua Francica, Latina, & Teotiſca. Natale ſolum Caroli Magni. Varia characterum Romanorum fortuna. Attilae ſtudium in Gothica lingua propaganda. Anuli Childerici Regis, & monetarum Franciae inſcriptiones.

I. CReſcente in dies gloria Romanorum, *imperioſa civitas non ſolum jugum, verum etiam linguam ſuam domitis gentibus per pacem ſocietatis imponere* voluit, ut ait ſanctus Auguſtinus in libro undeviceſimo de Civitate Dei capite ſeptimo. Hinc trans Alpes victoris gentium populi idiomate barbarae nationes ad jura & mores Romanos pedetentim efformatae: quanquam non illico linguae provinciales omnino antiquari potuerint; nam Ulpianus J. C. qui floruit ſub Alexandro Severo, D. de legatis & fideicommiſſis L. xi. libro tertio affirmat, ſuo aevo fideicommiſſa

non

non modo Graeco & Latino, ſed & Punico & Gallico ſermone relinqui potuiſſe. Quum vero Franci ſive Sicambri omnium Germaniae gentium clariſſimi, primis ſedibus ſuis, quas trans Rhenum incolebant, relictis, Belgicam, Celticam, & Aquitaniam, tres Galliarum provincias a Gothis pridem devictas occupaſſent; has biſariam diviſas, ſuae linguae Francicae ſive Teotiſcae propriis nominibus *Ooſterriich*, & *Weſterriich* indigitarunt, nempe regnum orientale, & occidentale: non a ventis, ut aliquibus viſum, ſed a ſitu coeli & cardine, ut notat Godefridus Henſchenius in Commentario praevio ad vitam ſancti Sigeberti §. II. die prima Februarii. Idque tractum a gentiliciis vocabulis *Ooſter* oriens, *Weſter* occidens, & *riich* regnum; quae Franci latinizantes, ex Olivario Uredio in hiſtoria Comitum Flandriae parte prima pag. 293. ſive Celtici ſcriptores ignari linguae Francicae, ut putat Johannes Aventinus in Annalibus Bojorum libro tertio, pro *Weſtria* & *Ooſtria*, primo *Neuſtraſiam* & *Auſtraſiam*, & poſtea breviore vocabulo *Neuſtriam* & *Auſtriam* appellaverunt: quod animadvertit etiam Wolffgangus Lazius in Viennae ſuae libro tertio capite undetriceſimo. Utramque vero unico vocabulo *Franciam* dixerunt, Burgundiae interim & Aquitaniae ſuis nominibus relictis, forte quod *Auſtria* & *Neuſtria* primae in Gallia Francorum ſedes fuiſſent, & ante Burgundiam & Aquitaniam ab iisdem occupatae, ut non

uno in loco obſervatum a doctiſſimo Hadriano Valeſio. Eandem ob cauſſam Gothi, qui in Italia regnarunt, appellati *Oſtrogothi* a ſitu orientali, nempe reſpectu ad illos, qui regnantes in Gallia & in Hiſpania ad occidentem, dicti ſunt propterea *Weſtrogothi*, & corrupte a Latinis *Wiſigothi*, quemadmodum adnotavit ſcriptor ſummus Hugo Grotius in prolegomenis ad Hiſtoriam Gothorum, Vandalorum, & Langobardorum.

II. Quod fatum Galliam Tranſalpinam, idem prorſus & noſtram Tranſpadanam & Ciſalpinam percuſſit, quam poſt Gothorum illuvionem Langobardi & ipſi natio Germanica aeque ac Franci, a ſe occupatam biſariam diviſerunt; Venetae provinciae *Auſtriae* nomen, Inſubriae vero & Liguriae *Neuſtriae* appellationem imponentes, antiquis nominibus ſuis interim Iſtriae & Tuſciae, quas poſtea occuparunt relictis, quemadmodum ſua Burgundiae & Aquitaniae Franci reliquerant. Hoc ex legibus Langobardicis alibi nos obſervavimus, oſtendentes caput Auſtriae hujus Italicae Forum Julii civitatem Carnorum exſtitiſſe: quae urbs *Auſtriae* nomen non ita pridem adhuc retinebat, & per multa ſaecula vulgo & in veteribus chartis retinuit. Ejus autem originationem ignorantes noſtrates hiſtorici, a Roſimunda quadam Auſtriaca per ipſos conficta eandem ſic dictam literis prodiderunt. *Neuſtriae* vero Italicae metropolis fuit urbs Ticinenſis, in qua reſidebant Reges Langobar-

bardorum. Haec ideo accuratius examino, quia a nemine ante discussa.

III. Hinc immaniter lapsum apparet Wolffgangum Lazium dum Austrasiam illam Francicam usque in Italiam exstensam fuisse credidit, atque ideo a Paullo ecclesiae urbis nostrae Forojuliensis Diacono agrum Venetiis proximum *Austriam* appellatum fuisse in libro quincto capite undequadragesimo de Gestis Langobardorum. quippe *Austriae* nomen toti ferme Venetiae non a Francis, sed a Langobardis inditum fuit: quorum Rex Luitprandus in fragmento praefationis ad leges suas apud Bernardum Saccum in historia Ticinensi libro decimo capite quarto diserte nominat *Austriam*, *Neustriam* & *Tusciam*, itemque in Codice Lindenbrogii pagina 617. & 659. *Austriam*, *Istriam* & *Tusciam*. Ita etiam *Austriae* & *Neustriae* meminit Rex Desiderius in diplomatibus pro monasterio Brixiensi sanctae Juliae in Bullarii Casinensis Cornelii Margarini tomo altero pag. 12. & 17. Serius deinde *Austriae* nomen inhaesit orientali Francici Imperii limiti in confinio Norici & Pannoniae.

IV. Porro tam Franci in Galliam suam ulteriorem, quam Langobardi in nostram citeriorem, & Transpadanam irrumpentes non solum antiquitus recepta provinciarum nomina immutarunt, sed & linguam Romanam horridis nec prius auditis vocibus, & vocum inflexionibus inquinaverunt, ut Capitu-

pitularia Francorum, & leges Langobardorum locupletissime evincunt: immo & characteres ipsos latinos utrobique deformaverunt; unde pro scriptura Romana apud nos primum Gothica & dein Langobardica obtinuit: apud Gallos vero Merovingica seu Francogallica, sic dicta quod sub stirpe Merovei Regis ex literis Francicis sive Teotiscis, & Gallicis sive Latinis coaluisset: quarum una, praecipue a Transalpinis adhuc passim usurpatur, nempe W, quae ab illis proferri solet, ut B. populi enim illi septentrionales, ut linguam, ita & characteres proprios a Romanis diversos habuerunt, ut erui posse videtur ex Agathia, qui eos *vestitu & lingua* a Romanis diversos appellat in libro primo pag. 13. regiae editionis. Si autem linguam, utique & characteres proprios, & a Romanis diversos, Francos habuisse necesse est; si tamen ullos habuerunt ante Ulphilam, qui Gothicos primus invexit, ut dicam.

V. Idipsum de Danis suis ostendit Olaus Wormius, de Saxonibus, & Anglosaxonibus Henricus Spelmannus, aliique. Monachus Otfridus Rabani Mauri discipulus in praefatione ad Euangelia lingua Teotisca a se rythmice conscripta id diserte de Francis suis his verbis testatum reliquit: *Lingua haec*, ait, *veluti agrestis habetur, dum a propriis nec scriptura, nec arte aliqua ullis est temporibus expolita*. Haec eadem lingua Francica adhuc saeculo decimo rudis erat, ut scribit Johannes Stumpffius in

Chro-

Chronico Helvetico loquens de Notkero monacho Sangallensi, qui *sub abbate Bernardo psalterium in linguam Francicam rudem adhuc & inconditam* convertit.

VI. Hanc linguam Francicam, in quam sub Arnolpho Imperatore Psalterium transtulit Notkerus, suam Germanicam fuisse affirmat Joachimus Vadianus in libro altero de collegiis & monasteriis Germaniae. Quare Franci lingua veteri Teotisca utebantur, quae ex Gothica omnium linguarum septentrionalium antiquissima originem duxit. Ex Gothica etiam profluxit vetus Cimbrica sive Runica, Svecica, Danica, Norvagica, Islandica. Illam eandem Gothicam, & veterem Cimbricam strenue ab orco revocarunt Wormius, Arngrimus, Jonas, Stephanius, & Junius. Nunc vero ex literis Viri in literaria perinde atque in Batavorum Republica Senatoris Gisberti Cuperi ad Magliabechium Musarum aeditimum & laudibus literariis insignem, audio illustrem Ottonem Sperlingium Regi Daniae a consiliis totum in eo esse, ut examinet veram scripturam Gothicam, quam nemini adhuc perspectam fuisse arbitratur. Laurentius Noëlus, Lambardus, Spelmannus, Seldenus, Welochus promoverunt Anglosaxonicam. Francicam sive Teotiscam egregie excoluerunt Goldastus, Freherus, Lindenbrogius, Opitius, & idem, qui supra Franciscus Junius Francisci filius in observationibus ad Willeramum.

VII.

VII. Franci ergo propriorum characterum ductus & lineas cum verborum fordibus in Galliam invexerunt: quorum integram fyllogen ex uno Gregorio Turonenfi congeffit Ifacius Pontanus in Originibus Francicis; ne quid dicam de Carolo Cangio, qui non modo Francorum, fed omnium gentium barbaras & exoticas voces, unde linguae latinae nitor fqualuit, laboriofo, & apud infinitam pofteritatem victuro conatu enucleavit. Hinc popularis nofter Venantius Fortunatus Charibertum Regem Chlotarii I. filium veluti ortum ex Sicambris feu Francis peculiari idiomate utentibus, prodigii inftar reputavit latinam linguam calluiffe. Certe praeter Otfridum, qui Euangelium, aliaque nono faeculo Francica lingua five Teotifca confcripfit, ***barbariem linguae Teutonicae ad regulas grammaticales reducere*** conatus, ut de eo fcribit Trithemius; & praeter Willeramum abbatem, qui undecimo faeculo idem praeftitit de Canticis Canticorum, quos auctores typis vulgatos habemus; longe ante in fermonem Gothicum translata fuerant Euangelia: quorum codex vulgo ***argenteus*** appellatus, quod literis argenteis mille ab hinc annis fuerit confcriptus, in apertum prodiit Dordraci, & deinde Amftelodami apud Janffonios anno MDCLXXXIV. cum obfervationibus Francifci Junii, & Thomae Marefchalli, addito alphabeto Gothico, Runico, & Anglofaxonico, necnon Gloffario Gothico: ubi Junius inter fe confert linguas feptentrionales,

nales, & innumeras vocum originationes detegit.

VIII. Hanc Gothicam translationem tribuunt Ulphilae Gothorum episcopo, qui literas Gothicas ad Graecarum imitationem sub Valentiniano & Valente Imperatoribus primus invenit, ex Socrate libro quincto capite tricesimo tertio, & Sozomeno libro sexto capite tricesimo septimo Historiae Ecclesiasticae. Eginhardus de linguis suo aevo in Gallia vigentibus haec scripta reliquit loquens de Carolo Magno: *mensibus juxta patriam linguam nomina imposuit, quum ante id tempus apud Francos partim latinis, partim barbaris nominibus appellarentur*: & Gerardus in vita sancti Adalhardi cum eodem Carolo educati, apud Bollandum tomo primo Januarii pag. 116. num. 42. *Qui si vulgari*, inquit, *idest Romana lingua loqueretur, omnium aliarum putaretur inscius: si vero Teutonica, enitebat perfectius: si latina, in nulla omnino absolutius*.

IX. Hinc patet, tres omnino linguas uno tempore in Gallia viguisse; patriam nempe, quae duplex erat: Francica, cujus in palatiis erat usus, & Romana sive rustica & semibarbara a Romanis Gallis orta, ut notatum a Cangio in praefatione ad Glossarium num. XXXIII. Reliquae erant Latina, & Barbara, quae Teutonica & Teotisca appellabatur, cujus mentio est in canone decimo septimo Concilii Turonensis anno decimo tertio supra octingentesimum celebrati. Singularum vero specimen antiquissimum

ſimum adhuc ſupereſt apud Nithardum in Collectione Ducheſniana Hiſtoriae Francorum tomo altero pag. 374., ubi in foedere inter filios Ludovici Pii, Ludovicus II. Romana lingua ruſtica, quae Caroli erat, Carolus vero Teotiſca, quae Ludovici, ob provincias, quibus praeerant, mutuum ſacramentum praeſtiterunt. Quare falſi ſunt, qui Caroli Magni tempore eandem Gallorum & Germanorum vernaculam linguam fuiſſe putaverunt, ut Vitus Amerbachius in praefatione ad Carolum V. in Conſtitutiones Caroli Magni, & Beatus Rhenanus libro ſecundo rerum Germanicarum. conventus enim Argentoratenſis, inquo ea concordatio facta eſt, contigit anno quadrageſimo ſecundo ſupra octingenteſimum, annis duntaxat duodetriginta poſt obitum Caroli Magni.

X. Omnino eſt ergo nobis adquieſcendum in Caſparis Barthii ſententia, qui in Adverſariis libro viceſimo ſecundo in fine capitis ſexti patriam linguam Caroli Magni apud Enginhardum putat fuiſſe Germanicam. Ad id amplius confirmandum hic lubet adjicere, Carolum reapſe patria fuiſſe Germanum: quod miror non animadverſum a Carolo Cointio, qui in Annalibus eccleſiaſticis Francorum ſub anno DCCXLVII. num. XV. quatuor variis opinionibus allatis de ejus origine & natali ſolo, ſingulas improbavit, nulla interim certiori ſententia adſignata, dum alii Ingelhemii prope Moguntiam; quam opinionem Marquardus Freherus in Originibus Palatinis parte altera

altera capite undecimo pag. 50. *popularem* appellat: alii Caroloburgi in Bavaria ad tertium a Monachio lapidem; quidam Caroloſtadii in Franconia; nonnulli Leodii ad Moſam ortum fuiſſe opinantur: quas ſententias, nihil tamen de illis deffiniens, recitaverat etiam Nicolaus Serarius in Moguntiacis libro tertio Notatione XXXVII. Idem ſubinde Cointius Carolum nec Gallum, nec Germanum, ſed Francum audacter affirmat, & natum in Francia, quae tum Galliae tum Germaniae partem complectebatur; nec interim tamen ipſe locum ullum deſignat.

XI. Hanc ſane de tanti Herois primaeva origine inter Gallicas, Teutonicasque nationes longam & ancipitem diſputationem, breviarium regiae donationis ex vetuſtis MSS. codicillis per Chriſtophorum Browerum in libro tertio capite duodecimo Antiquitatum Fuldenſum vulgatum penitus tandem componit. ibi enim ſic loquitur Carolus: *Donamus & contradimus Domino noſtro Salvatori, ſanctoque Bonifacio martyri, qui in Fuldenſi requieſcit monaſterio, terram* CONCEPTIONIS NOSTRAE, *hoc eſt totam comprovinciam circa flumen Unſtrudt, ipſamque chortem noſtram in Vargalaba cum omnibus compertinentiis ſuis, & cum omnibus villis longe vel prope ſitis, quae ad eam reſpiciunt cum omni proprietate, ſicut eam nos a* PARENTIBUS NOSTRIS IN PROPRIETATEM *accepimus*. Habemus ergo locum ubi conceptus fuit Carolus in limite Thurin-

giae & Saxoniae, ut ibidem oftendit Browerus, vetuftam relationem adducens, ex qua non tantum conceptum, fed etiam natum ibidem Carolum Magnum apparet: qua de re nullus dubitat Thomas Reinefius in Variis lectionibus libro fecundo capite decimo fexto pag. 257.

XII. Quod fi Eginhardus intimus alioqui & accuratiffimus fcriptor rerum Caroli Magni, locum ejus natalem filentio praeteriit, ultro forte id egit quod effet obfcurus, non utique praetermiffurus, fi fuiffet magnifica urbs Aquisgranum: quod tamen credidit Monachus Sangallenfis five Notkerus in ejus vita libro primo capite tricefimo apud Duchefnium tomo altero Hiftoriae Francorum pagina 119. qui idem Monachus praeterquamquod non raro eft fabulofus, forte ideo tradidit Aquisgranum *genitale folum* Caroli Magni, quod maximus Princeps hunc locum in deliciis femper habuerit, fumptuofiffimis aedificiis ornaverit, & obitu fuo clarum reddiderit. Rem itaque ab octo faeculis ignoratam diligentiae doctiffimi Broweri debemus, quicquid Antonius Pagius in epiftola ad Nicafium fpondeat fe in reliquis voluminibus Criticae Baronianae fcripturum ad oftendendum quod Carolus natus fuerit in Galliis.

XIII. Ut ergo redeam illuc unde diverteram, Franci, qui propriae linguae faece latinum idioma in Galliis confpurcarunt, adamuffim veterum Latii cha-

characterum elegantiam minime retinuerunt, qui jampridem ubique gentium a pristino illo nitore defecerant, quemadmodum novisset Germonius, si Claudii Molineti Historiam de characterum Romanorum fortuna consuluisset in Diariis Gallicis eruditorum anni 1684. tomo duodecimo pag. 29. ubi ex solis nummorum inscriptionibus, in quibus sculpendis major utique diligentia, quam in calamo describendis libris adhibetur, vir eruditus ob oculos ponit initium, incrementum, & declinationem Romanorum characterum: qui sub Justino & Justiniano pene obsoleverant, quia sub Honorio Gothi, quorum lingua Germanicae erat affinis ex Barthio, & deinde Germani sua elementa Romanis miscentes plenam barbariem linguis & scientiis fere omnibus induxerunt illa eadem victoria, qua Romanum Imperium dejecerunt. Hinc idem Barthius homo Germanus in libro decimo sexto capite vicesimo quarto Adversariorum factum observat, ut posterioris aevi scriptores saepe non bene ab iis accipiantur, qui ignari sunt linguae victricis, quae victae permixta, non superabile, nisi sero admodum, chaos fecit. Hac de re nuperrime egit etiam Burchardus Gotthelffius Struvius in libro inscripto: *Acta literaria ex MSS. eruta*, quem vulgavit Jenae anno elapso MDCCIII.

XIV. Si vero apud Italos, eo magis apud alienas gentes ea corruptio penetravit: quod in Galliis factum

factum argumento cujusdam Psalterii & lapidis sepulcralis Molinetus ostendit. Et licet sub auspicatissimo Imperio Caroli Magni studium affabre scribendi nonnihil reviviscere coeperit, quod adstruit Codex MS. Euangeliorum in Bibliotheca sanctae Genovefae; Normannorum tamen crebrae in Galliam irruptiones illa halcyonia turbarunt; nec ante inventam artem typographicam alphabeticae notae squalorem & sordes pridem contractas deposuerunt: immo & aliquando in ipsos typos Gothicus horror irrepsit, ut veteres editiones palam faciunt.

XV. Gothi itaque primi apud nos suam barbariem invexerunt, ut postquam Romanis imperium ademerant, artes etiam & linguam Romanam obliterarent: in quam rem Petrus Alcyonius in elegantissimo opere de Exsilio, incerti auctoris librum Graece scriptum de rebus a Gothis in Italia gestis, in bibliotheca Medicea se legisse tradit, ubi narrabatur, Attilam post partam victoriam tam studiosum fuisse Gothicae linguae amplificandae, ut edicto sanxerit, ne quis lingua latina loqueretur; magistrosque e sua provincia acciverit, qui Italos Gothicam linguam edocerent. Quare tunc Gothicae literae Romanis characteribus se commiscentes pristinum illum nitorem tantopere vitiarunt: cujus rei argumentum praebet scriptura chartae Ravennatis ante irruptionem Langobardorum conscriptae, quam Lambecius vulgavit, & Pandectae Florentini, quorum

rum ſpecimen exhibet Mabillonius in libri quinсti tabula VIII. pag. 357. licet ante Attilam ex Gothicis direptionibus barbaricus ſermo Romanae linguae jam ſe immiſcuiſſet, ut patet ex epiſtola CLXXVIII. olim inter Auguſtinianas, nunc in earum appendice XX. per monachos ſancti Mauri Vigilio Tapſenſi attributa, quae continet altercationem cum Paſcentio Ariano, ubi juxta finem haec leguntur: *Licet dicere non ſolum Barbaris lingua ſua, ſed etiam Romanis Sibora armen, quod interpretatur Domine miſerere.* Barbari ſunt Gothi, a quibus Roma capta eorum linguam didicit. De eadem phraſi Gothica vide Gloſſarium Gothicum Junii pag. 67.

XVI. Et ſane ſi advenarum commercia variant linguas, ut notat Olaus Borrichius in Diſſertatione de cauſſis diverſitatis linguarum: ſi negociatores Phoenices per omnia fere maria linguam ſuam diſperſere, ut demonſtravit Samuel Bochartus in Phaleg; quid non adverſus linguae latinae majeſtatem praeſtare potuerunt migrationes, & frequentiſſimae Borealium gentium per Imperium Romanum irruptiones? Non ergo mirum, ſi Itali aeque ac Galli repudiatis bonis & Latinis vocibus, Gothicas, Francicas, peregrinasque admiſerunt, quemadmodum bellicae tempeſtates, populis exteris regionem aliquam invadentibus, ſemper linguam illius corrumpere conſueverunt. Hinc tot dialecti in Italia, quarum diſcrimen non ſolum diverſitati pronunciationum,

tionum, coelo, climati, cibo, & ſitui regionis; ſed commercio adſignat Camillus Baldus in eruditae Divinationis epiſtolaris capite octavo.

XVII. Perquam ſimilis characteribus ejusdem chartae Ravennatis, licet lectu facilior, eſt ſcriptura librorum Joſephi de Antiquitatibus Judaicis in bibliotheca Ambroſiana, ut teſtatur Mabillonius in Itinere Italico pag. 12. cui ſcripturae itidem accedunt literae Catalogi ſub Gregorio Magno conſcripti, quemadmodum nos certiſſimos reddit Muratorius, qui illum in lucem protulit. Sinuoſae deinde & prius inuſitatae Gothorum & Langobardorum literae, compendiis & abbreviationibus plenae illud in veteres libros ea tempeſtate a librariis exſcriptos damnum propagarunt, ut quum difficulter a poſteris legerentur, primae illarum editiones mendis arena crebrioribus ſcatere a noſtris Grammaticis deprehenſae fuerint: quod ante me notavit Scioppius in Arte Critica.

XVIII. Sicut autem jure & merito inſanire videretur, qui ex unis lapideis inſcriptionibus tempore Juſtiniani & ſancti Gregorii non prorſus barbare ſcalptis, cujusmodi nonnullae adhuc in Urbe ſuperſunt, probandum ſuſciperet, iisdem penitus literis uncialibus, non autem minutis & flexuoſis, tabulas, volumina & chartas graphio & calamo deſcriptas fuiſſe; ita ſine dubio fatendum eſt, Germonium a recto aberrare dum ex epigraphe Anuli Childerici regis

regis Francorum, se evincere putat, non aliam scripturam, quam Romanis characteribus prorsus similem viguisse sub regibus Merovingicis apud amanuenses, notarios, & tabelliones; qui sibi proprio & peculiari scribendi genere utentes, plerunque nihil antiquius habuerunt, ut etiam hodie, quam ut ab elegantia & diligentia, viris doctis familiari quamlongissime recederent. Huic rei etiam inde robur additur, quod in pervetustis codicibus charactere Merovingico scriptis tituli librorum, & primi aliquando versus, Romanis literis Semigothicis fuerint exarati non secus ac inscriptiones sigillorum, & nummorum, ut Mabillonius ipse animadvertit libro primo capite undecimo num. ix.

XIX. Sed & aliis de caussis infirmum argumentum petitur ab Anulo Childerici. hic enim fuit filius Merovei, parens Chlodovei Magni, & quartus a Pharamundo; unde non mirum, si statim in Gallias a Francis invectae non sunt literae prorsus Teotiscae, ut factum deinde sub posteris Childerici: ex quo vir summi judicii & ingenii Godefridus Wendelinus apud Johannem Jacobum Chiffletium in Anastasi Childerici capite septimo pag. 98. scite admodum observavit, *literis nondum Gothicis, sed adhuc Romanis expressum Childerici Regis nomen* in Anulo eodem nunc adservato in Regis Galliarum cimeliarchio; quem ideo referendum putat ad ea tempora, *quibus nondum abolitis in totum Romanis*

elegantiis, supererant adhuc bonae artes, & sculpturarum peritia; quanquam multum jam remittens de suo illo nitore, quem hic desideres perfectiorem, praesertim in Z converso.

XX. Chiffletius insuper adnotavit, literam G esse imperfectam in vocabulo REGIS, ut quidem est in cunctis monetis Merovingicis: quae litera prorsus eadem est, quae in Pandectis Florentinis. At, si in brevissima duorum verborum epigraphe accuratissime scalpta, unum & alterum elementum barbarum & imperfectum deprehenditur; quot characterum monstris putandum est scatuisse diplomata & chartas tempore ejusdem Childerici per notarios exaratas? Nequicquam felicius ex monetarum inscriptionibus in suam sententiam exsculpit Germonius. tam enim quae ad primam, quam quae ad secundam Regum dynastiam pertinent, characteres barbaros referunt, ut videre est apud Claudium Bouterovium, & Leblancum, qui elegantes tractatus de monetis Regum Francorum emiserunt in lucem. Immo idem Bouterovius pag. 157. & 378. alphabetos exhibet ex monetis & literatis lapidibus sub prima stirpe; quibus exploditur quicquid Germonius contra notas Mabillonianas objicit. sunt enim in iis elementa pura puta Francogallica sive barbara: unde incogitanter nimis de metallicis & lapideis inscriptionibus scribit Disceptator, quod *Romanus character ubique occurrit, nullibi Merovingicus.*

CA-

CAPUT VIII.

Antiquitus duplex character, quadratus, & minutus. Galli post adventum Francorum duplici item charactere usi. Scriptura diplomatica diversa a literaria: item ab usuali. Merovingici characteres Romanis immixti. Scriptura Francogallica unde dicta. Codex Gregorii Turonensis. Quid scriptura Barbarica. Codex Corbejensis sancti Hieronymi & Gennadii. Scriptura Langobardica similis Merovingicae. Libellus Rufino adscriptus de Fide Catholica. Charta Ravennas apochae plenariae securitatis scripta charactere Gothico, non Langobardico.

I. SUmmo itaque jure Mabillonius scripsit, in Galliis post adventum Francorum duplici scripturae genere Gallos usos fuisse, *altero Romano*, quale *in plerisque vetustissimis Codicibus reperitur. altero minutiori in diplomatibus & quibusdam libris conscribendis, quod uniforme ubique in diplomatibus & chartis sub Merovingica stirpe fuisse* observavit libro primo capite undecimo num. III. Distinguenda enim est in

in unoquoque ſaeculo ſcriptura forenſis ſeu diplomatica a literaria, hominum literatorum propria, quae nummariam, & lapidariam etiam comprehendit: a qua item diverſa eſt uſualis & familiaris, non ita elaborata atque illa, quae in antiquis MSS. codicibus reperitur. Hoc in primis evincit unus & alter antiquiſſimus codex, nempe Fulgentii Ruſpenſis inter regios Alexandrinos bibliothecae Vaticanae, atque ſancti Hilarii Pictavenſis in archivo baſilicae item Vaticanae: qui quum literario charactere ſive quadrato ab hinc mille & ducentos annos fuerint conſcripti, ad calcem tamen illorum exſtat ejusdem aevi & forſan manus ſcriptura uſualis difficillima lectu.

II. Haud diſſimili pacto apud veteres Romanos duplex character uſurpabatur, uncialis nimirum atque elegans, & parum minutior non ita eleganter efformatus, cujuſmodi literis conſtant tabulae Arvalium Titi aevum referentes non ita dudum effoſſae ad viam Oſtienſem, quas una cum ſpecimine characterum evulgavit popularis noſter omnigena eruditione praeſtantiſſimus, noſtrique amantiſſimus Philippus a Turre Adrienſis Epiſcopus ad calcem Monumentorum veteris Antii. Ut de his ſingulis generibus, literario ſcilicet, & diplomatico rectius judicari poſſit, Mabillonius in libro quincto accurata utriusque ſpecimina exhibuit ordine temporum utrobique ſervato: quibus lectis, mirum eſt Germonium illud proferre potuiſſe pag. 52. *incertum eſt an ſcriptura Mero-*

vingica

vingica in diplomatibus, instrumentisque juridicis vere locum unquam habuerit; ob rationes nimirum, quae sine taedio referri non possunt: quaeque ex jam dictis sunt penitus profligatae.

III. Illud tantum non praeteribo, ubi Disceptator postquam Merovingicam seu Francogallicam scripturam, falsariorum figmentum appellavisset, codicem Gregorii Turonensis olim Claudii Jolii a Mabillonio in testem adductum, ait non omnes prorsus characteres habere barbaricos; sed & Romanos intermixtos, non autem longioribus illis ductibus implicatos, ut in diplomatibus connectuntur. Sed quis unquam affirmavit, nullum omnino elementum Romanum in Merovingica scriptura contineri? Si ideo dicta est Francogallica, quod ex Francis, nempe Barbaricis & Teotiscis literis, necnon ex Gallicis sive Romanis fuerit conflata? Quis vero tradidit uspiam, omnes notarios & exscriptores Merovingicos ad unum prorsus iisdem longioribus aut brevioribus ductibus characterum usos fuisse? Anne hodie Parisiis scribae & ceteri homines examussim unam eandemque literarum magnitudinem, ductum, & lineas superstitiose observant; non vero quisque alio, & alio scribendi modo, quisque pro arbitratu suo, licet eadem forma characterum, sensus animi exprimit? qui statimac apud nos Italos comparent, Gallici esse deprehenduntur, licet nullas loci, sive auctoris notas praeseferant; idemque scripturis Italicis

licis in Galliis contingere nemo nescit. Singulae quippe nationes, ut mores, ita proprium & sibi peculiarem scribendi modum servare solent: immo & singuli homines quandam scripturae symmetriam usurpant. Quare Germonius infra rei gravitatem se exercere videtur, dum eosdem omnino apices quaerit in volumine Joliano atque in diplomatibus Merovingicis, quum tam haec, quam illud uno quidem eodemque genere characteris, non vero ab eodem calamo & manu conscripta fuerint.

IV. Laudatum codicem Gregorii Turonensis vir diligentissimus Hadrianus Valesius in praefatione tomi primi rerum Francicarum testatus est scriptum fuisse *literis Barbaricis*, (nempe Francogallicis), *ita inter se connexis, & per quaedam notarum compendia pluribus expressis*, fere ut lectori sit divinandum. Nec mirum, ait Mabillonius, si istius scripturae forma viro doctissimo tam insolens visa est: quum auctor, qui Chronicon monasterii sancti Michaelis Virdunensis scripsit saeculo undecimo, apud ipsum in Analectis tomo altero pag. 381. fateatur Wolfandi sive Wlfoadi Comitis, qui sub postremis Merovingicis Regibus vixit, testamenta jam tum *vetustate confecta vix nisi rescriptorum amminiculo legi* potuisse: quod pariter saeculo decimo contestatus est auctor vitae sancti Beregisi abbatis Andaginensis in parte prima Saeculi quarti Benedictini pag. 294. ubi ejusmodi scripturam *Barbaricam*,

ricam, ideſt Francogallicam vocat, quae pro difficultate vix legi queat. nam agens de charta donationis Theoderico Rege conſcripta, *quum ergo*, inquit, *hanc diſcuterem, & pro difficultate Barbaricae ſcripturae non facile penetrarem; adverti tandem in ultimo quod ipſa proponebat, in quinto anno Theodorici Regis editam fuiſſe*. Sic etiam Ingulphus in hiſtoria Croylandenſi ſub anno MLXXXV. ait, ſe tunc temporis ex ſuo monaſterio detuliſſe Londinum *chartas* & *chirographa* Regum Merciorum, & *praecipua monumenta, partim duplicata, tam Gallicana manu, quam Saxonica*. quae deinde coram Wilhelmo Rege *a concilio ſuo* PATIENTER *lecta* & DILIGENTER *examinata* fuerunt; neque ideo tamen ex difficultate veteris & obſoletae ſcripturae, eadem inſtrumenta cum perverſis nebulonum commentis conjici debuiſſe crediderim.

V. Haud ergo mirum, ſi nobis ab illis temporibus longius diſſitis Barbarica iſthaec ſcriptura difficilis videatur. Sed audiamus quid ad haec reponit Germonius? Anonymum Virdunenſem non Merovingicam ſcripturam, ſed conſumptam, & *vetuſtate confectam* legere non potuiſſe: & chartam illam *Barbaricam* in vita ſancti Beregiſi memoratam, falſariorum fuiſſe impoſturam, quia auctor ille non probat fuiſſe ſcriptam ſub Rege Theoderico. At ſi ſpiritu prophetico afflatus divinare potuiſſet, poſt ſeptingentos annos veterum hiſtori-

corum

corum fidem & auctoritatem labefactandam, & palam in dubium revocandam, utique probasset sub Theoderico Rege illud diploma conscriptum, quod tunc satius duxit tradere editum *anno quincto* Theoderici. Sed nunquid hoc non probavit, si ex ipso chartae margine inferiori id se eruisse testatur? Virdunensem autem anonymum non de scriptura *vetustate confecta*, ideſt consumpta; sed de characteribus Merovingicis lectu difficillimis, quibus erat expressa, loquutum fuisse inde palam fit, quod ait *vix nisi rescriptorum amminiculo legi* potuisse: quod quidem respicit difficultatem, non ruinam, & consumptionem scripturae; alias non *vix nisi*, sed prorsus nullo *rescriptorum amminiculo* legi unquam potuisset.

VI. Mabillonius non semel laudat codicem MS. Corbejensem Hieronymi & Gennadii de viris illustribus, charactere Merovingico annos ab hinc mille conscriptum: quem, licet a se non visum ingenue fateatur Germonius, attamen pag. 50. *literas Merovingicas non perfecte in ipso repraesentari ex eo certum* esse ait, quod Mabillonius Langobardicis characteribus scriptum, olim existimaverit. At vel hinc perfectissime literas Merovingicas in eodem codice repraesentari patet. nam ob difficultatem scripturae, *Langobardicis characteribus eum constare olim opinatus est* doctissimus senex, ut testatur libro quincto pag. 348. nulla enim difficilior scri-

ptura

ptura veteri Langobardica, quae quidem in obliquis literarum vinculis & ambagibus non abhorret a Merovingica, ut nuper obſervabam in diplomate Grimoaldi Principis Beneventani ex archivo Caſinenſi per ornatiſſimum Gullielmum Laparre, in Urbe Procuratorem generalem Congregationis ſancti Mauri, ad Mabillonium tranſmiſſo, cujus apographum ad calcem dabimus. Nec vero mirum, eodem tempore in diverſis regionibus ferme ſimiles characterum ductus uſurpatos a populis, qui ex ſeptentrionali plaga aeque deducti fuerant. Iisdem literis Francogallicis libellus antiquiſſimus *de Fide Catbolica*, Rufino populari noſtro ab aliquibus perperam adſcriptus, ſervatur in bibliotheca monaſterii Bobienſis, quem anno MDCLXXXVI. Mabillonius contrectavit, ut teſtatur in Itinere Italico pag. 218. illuc forte a ſancto Columbano ex Galliis, unde venerat, vel ab ejus diſcipulis perlatum; ſivę ab iisdem, qui ſaeculis Merovingicis floruerunt, deſcriptum. Anne vero autographa in regionibus a ſe invicem diſſitis abſque ullo compacto exarari poterant, niſi ejusmodi ſcripturae forma tunc temporis apud notarios & librarios fuiſſet uſitatiſſima?

VII. Tandem Germonius, ut praeter diplomata, etiam ſcripturam Merovingicam inter falſariorum commenta rejiciat, ad ſimilitudines ſibi familiares confugit: quumque in averſa parte celeberrimi inſtrumenti Ravennatis, quod *plenariam ſecuritatem*

ritatem vocant, scripta fuerint haec verba: *C. Julii Caesaris testamentum L. Pisone socero recitatum in domo idibus Septembris*, notat hanc pseudoepigraphen olim imposuisse Petro Hamoni, Hamonem deinde Mabillonio, qui in eadem charta reapse Caesareum testamentum contineri putarunt; licet postea rem ipsam compererit Mabillonius libro quincto tabula LVIII. pag. 460. Ex his vero quid elicit Disceptator? scripturam veterem Langobardicam malesferiatis nebulonibus fuisse cognitam, quoniam eodem scripturae genere, licet non eadem manu, tam inscriptionem illam, quam instrumentum ipse testis oculatus constare affirmat. Eodem pacto ait, Merovingicam scripturam impostoribus innotuisse, unde eo facilius sibi persuadet, quaecunque eodem charactere scripta circunferuntur, esse adulterina & ab impostoribus ideo conficta, ut barbara scribendi forma ab usu communi recedentes, eo facilius homines improvidos ludificarent.

VIII. Sed multa hic proferuntur nullo sane plausu excipienda: & illud in primis quod chartam illam Ravennatem, frustra olim a Mabillonio quaesitam, nunc tandem in bibliotheca regia repertam, charactere Langobardico scriptam tradit, quum anno Christi quingentesimo sexagesimo quarto fuerit exarata, toto nempe quinquennio antequam Langobardi in Italiam irrumpentes suam barbariem & mores inducerent. Ejusdem vero instrumenti cha-

racter

racter idem est atque alterius chartae itidem Ravennatis a Lambecio vulgatae, & a Mabillonio expositae; nempe Gothicus, qualis in Italia, & Ravennae, Gothorum sede, ubi utraque scripta est, tunc obtinebat. Quum vero titulus aversae partis sit ejusdem characteris ac instrumentum interius, licet non ejusdem manus, utique credibile fit, eundem titulum neutiquam appositum fuisse ad fucum faciendum, quasi in eadem papyro Caesareum testamentum contineretur, quod nullum ibi esse, legenti statim patebat; sed ad aliud pro arbitratu ociosi scriptoris significandum. Hamo autem ideo deceptus fuit, quia exteriorem epigraphen legisse contentus, ipsam chartam non legit, vel legere non potuit. Sed esto Gothica, Langobardica, & Merovingica scriptura impostores non fugerit, qui, ut alibi diximus, omni aetate floruerunt; agetne ideo Germonius ad rei criticae dignitatem apte, quaecunque iis literis conscripta sunt, tenore effuso falsa conclamans?

CAPUT IX.

Stilus forensis semper inelegans. Vitia orthographiae quomodo a barbaris inducta? Vox Gravio *varie pronunciata. Orthographiae & literarum commutationes unde ortae. Elegantia & barbaries linguarum ex sono pronunciationis derivatae. Imperitia notariorum. Cassiodorus, Isidorus & Priscianus in alienum sensum detorti.*

I. SI ipso aureo saeculo Ciceronis, quo in scribendi & dicendi facultate nil politius, & candidius sol unquam vidit, forensis barbaries in Urbe rerum domina jam grassabatur: de qua Romani maximus auctor eloquii haec habet in libro primo de Oratore: *Turba & barbaria forensis dat locum vel vitiosissimis Oratoribus*; utique prodigii instar haberi debet, hominem, eumque bonarum artium studiis deditum reperiri, qui saeculis & regionibus, veterum morum, & liberalium doctrinarum expertibus, & plusquam Cimmeriis ignorantiae tenebris undequaque involutis, antiquum illum sermonis & verborum nitorem apud scribas & notarios forenses, qui semper ab omni elegantia abhorrue-

ruerunt, quaerere velit; & chartas rudi & inquinato illo ſermone & charactere conſcriptas hac una de cauſſa in apocryphorum cenſum continuo rejicere non dubitet.

II. Sed quum in ſuperiori capite probaverimus, alienas gentes proprii idiomatis faece & dialecto linguam latinam temeraſſe; utique neceſſe fuit & ejus orthographiam corrumpi & temerari: immo ex coeno in orthographiam ipſam per barbaros invecto, lingua latina foedata eſt; quum enim orthographia *manum componat & linguam*, ut ait Caſſiodorus; ex eo quod populi Septentrionales in Gallias & in Italiam ingreſſi ſono & verbis exoticis loquerentur, accurata illa veterum loquendi & ſcribendi ratio exſulare coacta eſt: quam quidem quatuor modis infici docuerat Fabius libro primo capite nono; per *adjectionem*, *detractionem*, *immutationem*, & *adnexionem*. Per *adjectionem* quum additur litera, ut *bonus*, *bonuſtum*: per *detractionem*, quum ea detrahitur, ut *Spalis* pro *Hiſpalis*; *Spania* pro *Hiſpania*; *ſtoria* pro *hiſtoria*; *caracter* pro *character*: per *immutationem* quum litera pro alia ponitur, ut *ſet* pro *ſed*: per *adnexionem* quum litera ſyllabae poſterioris priori adnectitur, ut *bonorum eorum* pro *bonorum meorum*, quod vel ex ſcribentis, vel ex dictantis vitio procedit: cujusmodi varia errata in veteribus MSS. occurrentia congerit Caſpar Scioppius in Arte Critica, inter quae *dictari debes* pro

pro *dicta ridebis*: atque haec omnia ſermo latinus per Francos, Gothos, & Langobardos paſſus eſt.

III. Quum vero Barbari alienis ſedibus commorantes patriae ſuae ſono & linguae ſuae pronunciatione non ſuam latinam linguam loquerentur & ſcriberent; inde factum eſt, ut eadem lingua a priſtino ſuo candore nimium quantum degeneraverit. Atque hoc ne videar tantum rationibus meis, non vero etiam aliorum gravi auctoritate firmare, panno huic noſtro aſſuam purpurae laciniam, in medium adducens teſtimonium ex viro omni liberali doctrina inſtructiſſimo, & quod illi ad laudem ſatis eſt, praeceptore Antonii Auguſtini, nempe ex Romulo Amaſaeo populari noſtro petitum, qui in priori ex ſcholis de latinae linguae uſu retinendo, quas biduo frequentiſſimis auditoribus ſtipatus habuit e ſuperiori loco Bononiae anno MDXXIX. quum Carolus V. & Clemens VII. una ibidem conveniſſent, ita diſſerit pag. 106. ſuarum Orationum: *Poſtea vero quam ex ultimis Europae finibus gentes immanitate barbarae, multitudine innumerabiles iteratis ſaepius irruptionibus, diuturno etiam dominatu Italiam afflixerunt*, lingua latina *vitiari primum barbariae ſono, barbaricis etiam verbis, quaſi maculis quibusdam aſpergi coepta eſt. Poſtremo cum Langobardi non inſolentioris nominis quam ingenii populi, Italia occupata, ſui etiam in ea regni ſedem ſtatuiſſent, quam ſub Regibus* II. *&* XXX.

& XXX. *annos* X. *&* VIII. *supra* CC. *tenuerunt*, *cum moribus ac legibus*, *cum ipsis literarum etiam notis mutavit Italia loquendi consuetudinem*; *ac non aliter Langobardicis vocibus*, *Langobardico oris sono latinus sermo depravatus est*, *quam solent puri amnes influente coenosa aut ex lacunis*, *aut ex paludibus aqua*.

IV. Hinc unica vox aliquando varie scripta reperitur, quia variò sono & vi pronunciabatur, quod patet in voce *Gravio*, qua Comitem, & pagorum praesidem Germani & Franci appellarunt ex Cangio in Glossario: quaeque pro vario munere coepit varie usurpari; *Lantgravii* enim, qui aliquam regionem; *Marchgravii*, qui marcham seu limitem; *Burchgravii*, qui burgum seu opidum regebant, sunt appellati. Porro *Graviones*, *Graffiones*, *Grafiones*, & *Graphiones* scripti reperiuntur apud eundem Cangium, nimirum pro tenui, presso, sive alio atque alio modulo, quo illud nomen proferebatur. Neque haec sane varietas oscitantiae, aut casui alicui adscribenda est. Sic a quibusdam *desciplina* pro *disciplina* scriptum monet Clemens in Collectaneis ad Donatum apud Goldastum: qui etiam in notis ad sanctum Valerianum Cemeliensem observat, in Heitonis Basileensis Visione, *spalmus* & *spalmodia* pro *psalmus* & *psalmodia* perpetuo scriptum in veteri codice; quos naevos in antiquis membranis occurrentes piaculum fuit emendare lectore inconsulto.

V. Per-

V. Perperam itaque Germonius in diplomatibus Mabillonianis ſcriptum ſugillat *Patrebus* & *Patribus*: *Gravionebus*, & *Grafionebus*: *Baſeleca*, *Baſilica*, & *Baſileca*: *Diunenſi Martheris*, & *Dionyſii Martyris*: *Monaſtirium*, & *Monaſterium*; & ſexcenta alia, quae tantum abeſt, ut ſinceritati & antiquitati eorundem diplomatum obſtent; ut immo vel hinc ea eſſe genuina & vetuſtiſſima appareat. Certe ſi Germonius veritatem ipſam, quam ingenii ſui argutias conſulere maluiſſet, pudore ſuffuſus a puerilibus hujusmodi notis in literas conſignandis abſtinuiſſet. Quid enim frequentius quam ſimiles commutationes in veteribus MSS. offendimus, quae arguunt finitimum utriusque pronunciationis ſonum; non enim in literis diſſimilis ſoni eaedem variationes contingunt. Caſpar Scioppius, qui veteres membranas bene multas manibus trivit, quarum auxilio ſuam Artem Criticam ſcripſit, obſervat Langobardicis literis ſemper B pro P, *conlabſum* pro *conlapſum*, *ſcribtum* pro *ſcriptum*, forte dictantis vitio, reperiri. Sic *monedula* pro *monetula*; *mantiſa* pro *manteſa*; *verberit* pro *verberet*; *inoliviſſe*, *recipi*, *conpingi*, *pictori* pro *inoleviſſe*, *recepi*, *compegi*, *pectori*; & alia innumera, quae non repeto quia notiſſima, & creberrima non ſolum in chartis, ſed etiam in literatis lapidibus, ut videre eſt in Indice Grammatico Gruteriano, & in gemino Syntagmate Reineſii, & Fabretti.

VI.

VI. Nec ſolum in diverſis chartis & codicibus MSS. diverſa occurrit orthographia, ſed & eaedem voces in unica tantum charta diverſio modo exaratae: quam inconſtantiam adverſus earundem chartarum ſinceritatem nihilominus retorquet Germonius, eo pacto ſe non ſolum in membranis, ſed & in omni antiquitate facile hoſpitem prodens; nam eandem orthographiae varietatem in ſcripturis, quae unicum notarium & auctorem agnoſcunt, paſſim occurrere, vulgata & inculcata res eſt, ut exemplis, & rationibus evincam. Sic in diplomate alibi laudato Grimoaldi Principis Beneventani legitur *Beneventani*, & *Venebentani*, ut cetera orthographiae monſtra praeteream: cujusmodi ſunt *ſerbos* pro *ſervos*: *parba* pro *parva*: *ereditates* pro *hereditates*: *habeis* pro *ab eis*: *abbſit* pro *abſit*. Eandem etiam inconſtantiam praeter diplomata ab imperitis & barbaris notariis deſcripta, veteres libri frequenter exhibent, ut Virgilii codex Mediceus propria manu Aſterii Romanorum doctiſſimi emendatus & diſtinctus, in quo Henricus Noriſius in Cenotaphiis Piſanis pag. 450. deprehendit *exſaturo* & *exaturo*; *exſpecto* & *expecto*, & alia ejusdem generis. In Pandectis Florentinis, ad accenſa funalia olim oſtendi ſolitis, ut ait Angelus Politianus in Miſcellaneis capite quadrageſimo primo, ubi eos archetypos putat; licet de hoc dubitare videatur Cujacius Obſervationum libro altero capite primo;

eandem inconſtantiam notavit Franciſcus Taurellus in praefatione ad eosdem Pandectas, ut *comprebendere* & *compraehendere*; *extare* & *exſtare*; *plebiſcitum* & *plebisſcitum*. Quam varia & inſtabilis in antiquis codicibus Italice ſcriptis orthographia deprehendatur in iisdem vocabulis, in eadem ſignificatione, ab eodem librario, in eadem etiam linea exaratis, obſervat in his rebus exercitatiſſimus Leonardus Salviatus in Animadverſionibus ſuis de lingua Italica ad Decameronem Johannis Boccatii, volumine primo, libro tertio, capite octavo, & undecimo.

VII. At non in unis codicibus manu deſcriptis, ſed & in lapidibus malleo & celte inſculptis id quoque apparet, ut in Cenotaphiis publico Piſanae Coloniae decreto, ideoque non oſcitanter, erectis; in quorum priori legitur *maxſumus*, & *maxſimus*; in altero *maxſumus*, *maxſimus*, & *maximus*, in quinque lineis ſibi invicem proximis. In lapide Ravennate apud Gruterum pag. CCXXXVII. 5. proſtat *condicio*, & *conditio*. nec ſolum in ſaxis, ſed etiam in nummis aliquando varietas apparet, ut *leibertas*, & *libertas* apud Fulvium Urſinum de Familiis pagina 291. editionis primae: in nummo Hadriani Auguſti apud Vaillantium inter Numismata Imperatorum tomo primo pag. 64. editionis tertiae, *diſcipulina*, & *diſciplina*. Sic apud Germonium pag. 102. in duabus ex quinque lineis ſibi invi-

invicem proximis legitur *recensendis*, & *resensuisse* ex vitio Gallicae pronunciationis, quae literam c alicubi eodem sono ac s efferre solet.

VIII. At si etiam felicissimis illis & vere aureis purioris eloquentiae temporibus orthographiae leges neglectae fuerunt, ut testatur Suetonius in Octavio capite duodenonagesimo, unde Fabius libro primo capite decimotertio scriptum reliquit: *Orthographia quoque consuetudini servit, ideo saepe mutata est*, quod quidem antiqui lapides satis superque ostendunt; quid mirum, si aevo ab omni elegantia alienissimo leges orthographiae penitus interciderunt, itaut Carolus Magnus Imperii Romani & literarum instaurator semel atque iterum lege caverit *de scribis, ut vitiose non scribant* in Capitularibus tomo primo col. 421. num. 3. col. 725. num. 105. col. 840. num. 9. & col. 966. num. 258. Sed de his Mabillonius tot tantaque congessit libro secundo capite primo, ut mirari subeat qui Germonius iis lectis, si tamen legit, adhuc hiscere potuerit.

IX. Crisis ergo illa Disceptatoris quod *Chaino* abbas Sandionysianus in diplomatibus appelletur *Chaino*, *Haino*, *Chaëno*, *Chagno*, penitus ruit. haec enim unius literulae variatio non ex impostura, dormitatione, aut casu aliquo; sed ex diversitate pronunciationis orta est in literis cognatis, atque ejusdem organi, ut loquuntur Ebraei,

quae facile variantur. Id in c litera pridem adnotavit Wendelinus in natali ſolo legum Salicarum pag. 111. nempe eandem literam veterum nominum adſpirationibus plerunque addi ſolitam, *ut*, inquit, *majores noſtri pleniore ſpiritu omnia ſua efferebant*: *Ludovicus*, *Hludovicus*, *Chlodovicus*, & quae ſunt id genus infinita. Haud ſecus Theodericus Ruinartus in praefatione ad Gregorium Turonenſem num. 100. obſervat, in ſexti & ſeptimi ſaeculi codicibus MSS. legi *Chlodovechus*, *Chlothacharius*, *Chrochtichildis*, qui etiam dicuntur *Hlodoveus*, *Hlotarius*, *Hlotildis*; ſeu *Chlodoveus*, *Chlotarius*, *Chlotildis*. Sic Theodrada Caroli Magni filia in uno eodemque inſtrumento apud Mabillonium libro ſexto num. LXX. dicitur *Theodredane*, & *Theodrada*.

X. Sic Childerici nomen, quod vere Germanicum eſt, ut docet Johannes Aventinus in nomenclatura Annalibus Bojorum praefixa, tranſiit in *Huldreich*, & *Hyldenreich*, quod eſt *amor regni*, ſive *amoris dives*, *&* *plenus*; deinde inflexum fuit in *Hyldericum*, *Chyldericum*, *Uldaricum*, *Udalricum*, *Wodalricum*, *Wolricum*, *Ulricum*, & *Odoricum*. Hadrianus Junius in Bataviae ſuae capite viceſimo tertio pagina 394. haec habet: *Huldericus ſuffragiorum potens. eſt enim Hulden idem quod ſuffragio ornare*. litera c euphoniae gratia Hilderico praeponitur, unde Gregorius Turonenſis paſſim *Chil-*

Childericum dixit, & *Chilpericum* pro *Hilderico*, & *Hilperico*, ut etiam *Chunos* pro *Hunos*. Petrus quoque Delalande in Supplementis ad Concilia Gallica Sirmondi pag. 42. notat quam varie ſcriptum nomen Chlodovei. in codicibus enim Pithoeanis & Corbejenſi, atque in epiſtola Concilii Aurelianenſis I. vocatur *Chlothovechus*: in Remenſi, & in epiſtola Aviti Viennenſis paullo lenius *Chlodovechus*: in altero Pithoeano cum duplici adſpiratione *Chlodovechus*: in Anaſtaſii epiſtola *Chludovechus*: in altero Pithoeano, & in epiſtola Nicetii Trevirenſis *Chlodoveus*; & ab aliquibus ſine ulla adſpiratione *Clodoveus*. A Theoderico Rege Gothorum apud Caſſiodorum libro ſecundo epiſtola quadrageſima prima, & libro tertio epiſtola quarta vocatur *Luduin*; a Dagoberto in ſuo teſtamento *Hludovius*, quod poſtea inflexum eſt in nomen *Ludovici*, quod item diverſo modo ſcriptum occurrit.

XI. Ex his illud conficere mihi poſſe videor, ex unico pronunciationis ſono linguarum elegantiam & nitorem, ſive ruſticitatem & barbariem derivari: quod mente percipiens, Cicero in libro primo de Oratore nihil magis eloquentiae Romanae cultoribus toto animo commendavit, quam artem recte pronunciandi: qua poſtea per exterarum gentium mixtionem depravata & neglecta, cum ſcripturae ipſius candore etiam nativae ſermonis veneres exſulaverunt. Certe Alcuinus, quo Carolus Magnus literis inſtau-

inſtaurandis uſus fuit, ad hujusmodi barbariem abolendam, monuit Carolum epiſtola decima quincta col. 1512. ut in adoleſcentulis curaret pronunciationem emendari: *Veſtra vero*, inquit, *auctoritas Palatinos erudiat pueros, ut elegantiſſime proferant quicquid veſtri ſenſus lucidiſſima dictaverit eloquentia*. Hoc inculcat etiam in Rhetorica col. 1346.

XII. Idem probari poſſe videtur ex ſancto Hieronymo, qui in epiſtola ſeptima ad Laetam de inſtitutione filiae: *Sequatur*, inquit, *ſtatim & latina eruditio, quae ſi non ab initio os ſuum compoſuerit, in peregrinum ſonum lingua corrumpitur, & externis vitiis ſermo patrius ſordidatur*. Recte itaque Roureus in eleganti libello Gallico de reparatione linguae Latinae edito Pariſiis anno MDCLXXXIV. oſtendit quolibet ſaeculo eam mutationibus obnoxiam fuiſſe ob varium in quacunque natione pronunciandi modum: quas mutationes erudite expendit Olaus Borrichius in Cogitationibus de variis Latinae linguae aetatibus.

XIII. In hac eadem noſtra ſententia video fuiſſe etiam Juſtum Lipſium in perpolito opuſculo de recta Pronunciatione linguae latinae capite tertio, ubi per Gothos, Hunnos & Vandalos non tantum pronunciationem corruptam, ſonosque verborum, ſed ipſa verba, & factam ex varia illa faece miſcellam quandam & novam linguam, adnotavit, unde Italica, Gallica, & Hiſpanica lingua originem habuerunt: non

non quidem ante mille annos, ut ibidem putare videtur Lipsius, sed post decimum saeculum. argumenta enim, quae profert ex loco Historiae Miscellae, & ex transactione Ravennate, de qua superius meminimus, aliud non probant, quam sexto saeculo jam mire foedatum fuisse sermonem latinum: hinc recte Janus Rutgersius in Variis lectionibus libro primo capite decimo tertio a Lipsii sententia discedit, *nam*, inquit, *si quod verbulum jam inclinante latini sermonis puritate ex alterius linguae faece Romanae adhaeserit, non ex eo statim sequitur universam interiisse*: quanquam, ut verum fatear, non *verbulum* aliquod, sed densissimae sordes ex barbarorum colluvie linguae latinae tunc adhaeserint, unde Lipsius jure ait, chartam illam Ravennatem scriptam *vulgari lingua*, non vetere illa, quae jam obsoleverat. in eodem enim instrumento tot sunt confusiones casuum, tot peregrinae voces, ut satis ex illo pateat, quae tunc in plebe loquendi ratio obtinuerit, inquit Daniel Georgius Morhofius in libro eruditissimo de Patavinitate Liviana capite sexto, ubi monstra verborum ex eodem instrumento pro specimine congerit.

XIV. Ex his, quae forte aliquanto fusius quam par erat, a nobis dicta sunt ad evellendam omnem argumentorum vim, quibus Germonius universae rei diplomaticae orthographiam & barbariem suspectam reddere nititur, abunde puto etiam refutari quae-

quaecunque de Referendariis, & Notariis regiis comminiſcitur: quos ſaeculis Merovingicis *eruditiſſimos* fuiſſe, & *emendate* ſcripſiſſe narrat. Hoc tamen, ut nobis, quibus non licet eſſe tam diſertis, facilius perſuaderet, aliqua ſcripta ab iisdem Referendariis, & Notariis *eruditiſſimis emendate* confecta ob oculos ponere debuiſſet. non enim Rempublicam literariam iis legibus ſtare adhuc accepimus, ut quae perpetua temporum ſerie, plena ſapientum voce & exemplorum vetuſtate jam olim firmata ſunt, futilibus aeque ac animoſis ſcripturientium hominum effatis quaſi labefactata illico proſcribantur; praecipue vero quum certo ſciamus, Actuariis, Notariis & Tabellionibus publicis, latini ſermonis imperitis, barbariem iſtam in primis eſſe adſcribendam.

XV. Quis porro non animadvertit latinitatis interitum in legibus Gothicis, Langobardicis, Salicis, & Principum Galliae prioris ſtemmatis, in quibus deſunt grammaticae regulae, & verba exotica atque hodie ignota denſantur, vel quia religio & barbarica jurisprudentia tunc ſecus loqui vetabat; vel quod ſcriptores ubi latina vocabula ad ſua exprimenda non ſuppetebant, e vernaculo idiomate latine inflexo ea depromerent, fractis ceteroquin in ipſa ſermonis ſerie Grammaticorum repagulis, ut adnotavit vir multiplicis & diffuſae eruditionis Carolus Cangius in praefatione ad Gloſſarium n. XXVII.

Quod

Quod vero ad Referendarios & Cancellarios ſpectat, penes eos erat ſigilli regii cuſtodia, quo diplomata, iis ſubſcribentes, muniebant, ut eruitur ex Aimoini libro quarto, capite quadrageſimo primo, ubi loquitur de Dadone, ſive Audoëno Dagoberti Regis Referendario. Varios modos, quibus Referendarii, Cancellarii, & Notarii ſub triplici Francorum ſtirpe regiis diplomatibus ſubſcribere conſueverunt, accurate, ut omnia, explicavit Mabillonius libro ſecundo capite undecimo.

XVI. Poſtremo quam irritas minas in rem diplomaticam Diſceptator exerceat, illud manifeſte prodit, quod ſaeculo ſexto orthographiam, qua eadem carent, in magno pretio ubique habitam contendat, quia Caſſiodorus annos circiter quinquaginta poſt Chlodovei mortem de ea ſcripſerit; Priſcianus ejus aequalis CPoli librum ea de re compoſuerit; & inter Hiſpanos Iſidorus libros originum ediderit: unde mirum ipſi videtur, rationem recte ſcribendi in ſolis Galliis tunc fuiſſe neglectam. At non in ſolis Gallis, ſed ubique populorum eam penitus neglectam & ignoratam hucuſque demonſtratum eſt: & quanquam laudati auctores ſaeculis illis barbaris de hoc argumento tractaverint, quaenam, (Superi!), ars diſceptandi unquam docuit, ab omnibus recte ſcribendi ſtudium ideo excultum fuiſſe? Ergone omnes homines erant Caſſiodori, Priſciani, Iſidori? Etiam hodie doctiſſimos ſcripto-

res habemus, qui de orthographia diligenter ſcriptis egerunt, cujusmodi ſunt, praeter illos antiquos, Aldus Manutius junior, Claudius Dausquius & Chriſtophorus Cellarius, qui ceteris recentioribus praeſtant; & nihilominus pauci, quos aequus amavit Jupiter, ad eorundem canones opera ſua procudunt; & minime omnium rabulae & notarii forenſes.

XVII. Immo eo ipſo quod Caſſiodorus de orthographia egerit, patet ejusdem regulas ab omnibus & praecipue a Monachis ceterorum hominum ea tempeſtate doctiſſimis, in quorum gratiam ſcripſit, apud nos Italos tunc ignoratas fuiſſe: cui malo ut mederetur Caſſiodorus opus illud ſuum adgreſſus eſt, ut in praefatione diſertis his verbis teſtatur tomo ſecundo operum editionis Garetii pagina 605. *Cum inter nos talia gererentur, & de complexionibus Apoſtolorum nonnulla naſceretur intentio, Monachi mei ſubito clamare coeperunt: quid prodeſt cognoſcere nos quae vel antiqui coeperunt, vel ea quae ſagacitas veſtra addenda curavit noſſe diligenter, ſi quemadmodum ea ſcribere debeamus, omnimodis ignoramus; nec in voce noſtra poſſumus reddere quae in ſcriptura comprehendere non valemus?* His ſe reſpondiſſe ait Caſſiodorus, quae dicerent *deſignata eſſe quemadmodum & intelligi debeant & proferri*. quare ex duodecim auctorum opuſculis artem orthographicam Monachis iisdem di-

digessit, qua, ut subdit in fine, se illos voluisse *ab imperitorum numero sequestratos esse*, testatur. Ergo omnes tunc imperite & mendose apud Italos nostros scribebant. Quod spectat ad Isidorum, ipse quoque in praefatione ad regulam Monachorum, *sermone plebejo vel rustico* se usum fuisse fatetur, nimirum modestiae caussa. scriptis enim suis diligenter elaboratis, supra aevi illius, quo vixit, conditionem se extulit.

XVIII. De Prisciano Caesareensi haud mirum quod inter populos non Latino, sed Graeco idiomate utentes ipse unus latine non infeliciter scripserit. id enim non aliunde quam e libris latinis hausit, sine periculo sermonem latinobarbaris loquendi modis inquinandi; a quibus ipse inter Graecos vivens longe aberat. Siquidem ex optimis auctoribus purius & elegantius, quam a populis linguae discuntur, quia in ore populi sunt bona mixta malis, in libris vero omnia elucubrata & polita. Hinc saeculo illo Leonis X. Pont. Max. omni laude celebrando, studiis & laboribus Italorum lingua Latina, jampridem barbarorum inferiis conclamata, ita revixit, & multi, duce & auspice Cicerone aliisque melioris notae latinis auctoribus tunc adeo accurate & eleganter scripserunt, ut nobis aevo Augusti scripsisse videantur.

CAPUT X.

Diplomatum barbaries, eorundem sinceritatem prodit. Tabelliones in gratiam vulgi diplomata conscribentes plebeis idiotismis usi. Gregorii Magni oratio cum ceterorum illius temporis stilo neutiquam comparanda. Cur in Provinciis latinitas sequiori aevo desierit. Soli clerici tunc docti, laici vero literarum ignari. Sermo rusticus usque ad Carolum Magnum in Galliis obtinuit. Lingua latina propria Romanae ecclesiae. Sermonis rustici specimina ex lapidibus prolata. Rudium scripturarum pretium. Dado Referendarius historiam scripsit alio stilo atque diplomata. Gregorii Turonensis sermo rusticus. Marculfi editio Baluziana omnium accuratissima.

I. QUanquam ex iis, quae hactenus de obsoleta, & coenosa illa sequioris aevi latinitate disserui, nemo prudens negaverit prorsus evanescere quaecunque in ceteris capitibus Germonius exaggerat ad vindicandam rudium saeculorum, quam ipse sibi fingit, elegantiam; nihilominus, ut Augiae stabulum, quod ingressi sumus, ex-

expurgare undique pergamus, reliqua identidem sophiſmata excutere operae pretium videtur: quod nullum ſane nobis negotium faceſſit praeter moleſtiam & taedium captioſis & inanibus effatis diutius immorandi. In hujusmodi cenſum procul dubio venit integrum caput ſextum, ubi ex ſtili diplomatici barbarie, quae una, apud omnes homines mentis & rationis compotes, chartas veteres legitimas eſſe probat, ipſe aliorſum abjens, illarum indubiam falſitatem ſe detegere aſſerit, quia nempe diplomata *pleraque ſoloeciſmis ſcatent, & ſtilo plane barbaro ſcripta ſunt*. Scilicet viro antiquitatis cenſori diplomatum & chartarum nulla ſuſpicio ſuboleret, ſi Ciceronianis elegantiarum floſculis, & eximio verborum delectu ſcaterent: ſic enim in iis, quae inſtrumenta adulterina ſtatim proderent, ipſe unus eorum genuinam auctoritatem conſtituit; nullum interim diploma non barbarum, non inelegans in medium proferens, aut ab aliis prolatum oſtendens: quod tamen proferre & oſtendere debuiſſet, verorum diplomatum ſpecimen & exemplum viris doctis & indoctis propoſiturus.

II. Quum ergo ob unam ſtili & ſermonis barbariem in diploma Theoderici III. Regis Francorum a Mabillonio libro ſexto pag. 469. vulgatum, Cenſor illud integrum recitans animadvertat, profecto non ſolum ejus auctoritatem ne hilum infringit, ſed magis firmat. Quippe in eo diplomate anno ſeptua-

ſeptuageſimo ſexto ſupra ſexcenteſimum conſcripto legitur *jovamen*; *vel conſolacione percipeunt*; *erga noſtris partibus fidilis*; *ideoque cognuſcat magnetudo*. Et praeter peccata in grammaticam: *viditur*; *homene*; *nuſcitur & nuſcetur*; *ordenandum*; *plina*; *habiat*; *domenatione*; *decrivemus*; *ficit*; *minſis*; *rigni*; atque haec omnia dicta ſunt ex vitio barbarae pronunciationis, de qua nos in capite ſuperiori diſſeruimus. Hunc autem loquendi modum, ut ſaeculis, quibus illigatur, minime congruum oſtendat diplomatomaſtix, enumerationem illuſtrium auctorum adgreditur, qui aevo illo, quo diplomata ſcripta ſunt, ſtilo & ſermone non penitus barbaro ſeu diplomatico opera ſua digeſſerunt: cujusmodi ſunt epiſtolae ſummorum Pontificum, ſcripta Boëthii, Caſſiodori, Ennodii, Victoris Capuani, Paſchaſii, & Ruſtici, Gregorii Magni, Fulgentii & Ferrandi, Juniſii, Primaſii, Iſidori, Hildephonſi, Juliani, Adelmi, Bedae, aliorumque: quaſi vero notarios ſive antiquarios forenſes, qui inſtrumenta & acta publica in gratiam vulgi condebant, eaque idiotiſmis popularibus plebejo captui accommodabant, ut notavit Joachimus Vadianus in libro de collegiis & monaſteriis Germaniae apud Goldaſtum mox indicando, par & neceſſe fuiſſet uti ſtilo Ennodii, ceterorumque, qui rariſſimi in una aut altera provincia ex univerſali barbarie caput nonnihil extulerunt; adeo quidem, ut ex ſententia Germonii ſinguli

guli actuarii esse debuissent Ennodii, Isidori, Gregorii Magni, Adelmi, Bedae.

III. Profecto si hujusmodi ratio disceptandi aliquid ponderis secum ferret non solum sexti & septimi saeculi, quod ipse contendit; sed & nostrae aetatis chartae fide sua laborarent; etenim ne unum tabellionem aut notarium in tanta literarum frequentia reperire facile erit, cui verbis & dictionibus non plebeis, & ab iis, quas eruditi usurpant quam longissime alienis, uti religio non sit. Quare antiquis non solum, sed & recentibus chartis aptissime convenit quod scribit Vadianus apud Goldastum tomo tertio rerum Alamannicarum pag. 33. *Non potest*, inquit, *negari barbaries, atque ea quidem crassissima, quam redolent* chartae: *quae quidem imperitiane saeculorum, an studio magis, ac veluti data opera accidisse putandum sit, non facile dixerim*. Quam absurdum reputari debeat ex paucissimis illis scriptoribus a Germonio enumeratis, qui in tantis ignorantiae tenebris, sermone, ut ferebant ea tempora, non penitus impolito, usi sunt, reliquorum hominum parem in scribendo elegantiam colligere velle, unico argumento conficiam. Sexto saeculo floruit Gregorius Magnus, *in cujus oratione*, ut quidem ait Germonius *nequicquam sese offert, quod ad diplomatum barbariem accedat*: *nec* ea est *horrida*, & inculta; idemque affirmari potest *de omnibus Italis septimi & octavi saeculi*.

IV.

IV. Eodem tamen, quo Gregorius Magnus, tempore vixit Johannes Abbas, quem idem sanctissimus Pontifex una cum Hippolyto notario misit ad Theodelindam Langobardorum Reginam, ut eam ad Catholicam communionem reduceret: quod constat ex libro tertio epistola quarta. Idem porro Johannes, ut nuper animadvertit Mabillonius in Annalibus tomo primo pag. 300. de Oleis sanctorum martyrum, quorum corpora tunc Romae quiescebant, Theodelindae detulit: cujus rei Indicem archetypum in papyro Aegyptiaca ex museo Septaliano, in quod ex basilica Modoëtiensi per Theodelindam constructa, fuerat translatus, in lucem protulit illustris Muratorius in tomo altero Anecdotorum pagina 191. In hoc Indice ipsa Johannis abbatis manu conscripto legitur: *Notatio de Olea* pro *de Oleis*: *Apostholus* pro *Apostolus*: *cum tres filias*, & *cum septem filios* pro *cum tribus filiabus*, & *cum septem filiis*: *Crisanti* pro *Chrysanthi*: *Yppolitus* pro *Hippolytus*: *Cornili* pro *Cornelii*: *milia* pro *millia*. Item *Iacynti* pro *Hiacynthi*: *oleo* pro *oleum*: *Filippi* pro *Philippi*: *Acillei* pro *Achillei*: *quaroleas* pro *quae olea*. neque tamen ullus magis quam Johannes auctor hujus catalogi, idemque abbas & Legatus Gregorii Magni, a sordibus tam crassis latini sermonis abhorrere debuisset; si verum quidem foret quod omnes & singuli non alio stilo & sermone quam Gregoriano tunc mentis suae sensus in literas

ras misissent. Quare si tantum & talem virum tam lutulento idiomate loquutum deprehendimus; quid erit dicendum de scribis & actuariis forensibus, qui omni aetate nihil unquam antiquius habuerunt, quam salebrosa, inculta, populari, & sordida phrasi acta in publicam lucem vulgare?

V. Tametsi vero illis iisdem temporibus profligata ac pene exstincta fuerit latinitas; nihilominus inter barbaricas naenias cultiora longe scripta identidem prodiisse.

Scimus & hanc veniam petimusq;damusq;vicissim praesertim sub ipsa Principatus Francici initia, quum scilicet adhuc nonnullae elegantis eloquutionis scintillae superessent: quod ex Sidonii, Aureliani, aliorumque opusculis colligimus, & ex aliquot epistolis Chlodovei Magni. Sed latinitas subinde in deterius abiit, ut ex antiquitatis parietinis egesta formularum & placitorum rudera evincunt, in quibus nihil fere latinitatis, barbariei plurimum apparet. etenim viluere, seu potius desiere in provinciis a barbaris occupatis literarum studia universa; inductaque sensim quum in moribus, tum in lingua barbaries crassa & sordida; eoque incessit earundem provinciarum aemulatio, ut gentis suae vocabula latino canone & norma inflecterent, quemadmodum Graeci latina, Latini graeca: unde ortae sunt barbarae voces, quibus Glossaria integra Vossius, Spelmannus, Lindenbrogius, aliique cumulaverunt; quaeque ob lin-

guarum Transalpinarum inscitiam a Graecis, Latinisque fontibus arcessuntur, quum sint purae putae Gallicae, Germanicae, Saxonicae, Britannicae, ut notat Morhofius de Patavinitate Liviana capite sexto.

VI. Ea porro barbaries provincialis irrepsit praesertim apud nobiliores, qui Principibus suis placere, atque in eorum aulis versari cupientes a literis de more animum abalienaverunt tam apud Francos, quam apud nos Italos, ut ex Procopio, & populari nostro Venantio Fortunato colligitur: quorum ille libro primo capite altero de bello Gothorum narrat, proceres Gothos graviter increpasse Amalasuntham Theoderici Italiae Regis uxorem, quod Athalaricum filium literis imbuendum praeceptoribus tradidisset, quum studia doctrinarum a fortitudine longe esse disiuncta existimarent, animumque contra statuta majorum per ea in timiditatem deflectere. Venantius autem, ut alibi innuimus, prodigii instar reputavit, Charibertum Regem Francorum latinam linguam calluisse, dum ita ad eum scripsit libro sexto carm. IV.

Cum sis progenitus clara de gente Sicamber,
Floret in eloquio lingua latina tuo.
Qualis es in patria, docto sermone, loquela,
Qui nos Romanos vincis in eloquio!

Hinc quum deessent apud laicos, qui latinam linguam & disciplinas tenerent; quumque, si quid ex iis supererat, ad clericos, & monachos confugisset,

quos

quos ad ea ſtudia excolenda eccleſiaſtici gradus profeſſio adſtrinxerat, illud invaluit, ut nomine *clericorum* literati homines, *laicorum* vero literarum ignari & rudes appellarentur, licet nec ii nitide & adamuſſim ſcriberent. Sic Ordericus Vitalis libro tertio de neſcio quo, *clericus*, inquit, *cognominatus eſt, quia peritia literarum, aliarumque artium apprime imbutus eſt*. Et Gullielmus Abbas in chronico Andrenſi apud Dacherium tomo nono Spicilegii pag. 409. de ſchiſmate ſub Gelaſio II. *Imperator*, ait, *Hiſpanum quendam Burdinum nomine, ſatis clericum* (nempe literatum) *ei ſuperordinari fecit*. Alia exempla profert Cangius in Gloſſario: quibus addere lubet nonnulla e noſtris Italicis ſcriptoribus mutuata, & primo ex Johanne Villanio, qui in libro quarto capite tertio Hiſtoriarum ait de Roberto filio Hugonis Capeti: *Fu un gran cherico in iſcrittura, e molto Cattolico e ſavio*. Idem libro primo capite primo ſcribit, ſe vulgari ſermone Italico Hiſtorias ſuas concinnare adgreſſum fuiſſe, *acciocchè i laici ſiccome gli alletterati ne poſſano ritrarre frutto e diletto*.

VII. Interea in plebe manſit vulgaris & *ruſticus*, ut tunc vocabatur, ſermo Romanus ſordidis vocabulis & inflexionibus maculatus; de quo Cangius in praefatione ad Gloſſarium num. XXVIII. multa congerit, ideo *ruſticum* dictum animadvertens, quod artis Grammaticae regulis & Rhetorum figuris non

 eſſet

esset subactus, & barbarismis, soloecismisque scateret: quem propterea Sidonius libro tertio epistola tertia *squamam sermonis celtici, & rubiginem trivialium barbarismorum* vocat. Hoc quidem sermone humilitatis caussa se usos fuisse scribunt Gregorius Turonensis, Isidorus Hispalensis, aliique, licet non omnino, ut ceteri illius aetatis, rustice scripserint. Eundem sermonem usque ad Carolum Magnum obtinuisse probant innumera exempla, & praecipue auctor MS. Anonymus de miraculis sancti Florentii apud Cangium num. XXIX. ubi ait: *Liberales siquidem artes usque temporibus domni Karoli Imperatoris praedecessoribus nostris ita extiterunt extraneae, ut in Galliae regionibus etiam inter summos Pontifices vix aliquis negligentia praepediente reperiretur, qui urbanitate eloquii synodales saltem valeret venustate exsolvere definitiones. Sed quoniam favente Deo, instantiaque domni supradicti Imperatoris, quae vetustiores neglexerant, moderniores adsecuti sunt* &c. Haud secus ibidem testatum reliquit scriptor vitae sancti Urbani: *Exterarum quippe persecutio gentium, & intestina etiam bella Regum sic postponi fecerant liberalium studia literarum, ut usque ad tempora Caroli Magni vix possent in Galliis inveniri qui in scientia Grammaticae artis essent efficienter instructi.*

VIII. Propterea Monachus Engolismensis apud Duchesnium tomo altero pag. 76. in vita Caroli

roli Magni sub anno DCCLXXXVII. haec scribit: *Ante ipsum etiam domnum Regem Carolum in Gallia nullum studium fuerat liberalium artium*; & Lupus abbas monasterii Ferrariensis in Gallia in epistola prima ad Einhardum ait, ante Carolum Magnum *longo situ collapsa priorum studia pene interiisse*, & sub ipso *coepta revocari aliquantum quidem extulisse caput*. Idipsum profitetur ipsemet Carolus in ea constitutione, quam de scholis per singula episcopia, & monasteria instituendis edidit. Quod de linguae latinae in Galliis rusticitate & barbarie constat, idem in Hispaniis post Saracenorum irruptionem invaluisse testatur Alvarus in Indice luminoso, qui cum reliquis ejus operibus MSS. servatur in bibliotheca Barberina, ait enim: *Linguam propriam non advertebant Latini, itaut ex omni Christi collegio vix inveniretur unus in milleno hominum genere, qui salutatorias fratri posset rationabiliter dirigere literas*.

IX. Sed & in Italia, & in ipsa provincia Romana densissimas ignorantiae tenebras medio saeculo septimo incubuisse locupletissimus testis est Agatho Papa in prolixa epistola ad Constantinum Pogonatum Imperatorem tomo sexto Conciliorum Labbei col. 634. ubi sui aevi infelicissimi inscitiam luget, quod *apud homines in medio gentium positos & de labore corporis quotidianum victum cum summa haesitatione conquirentes, non posset ad plenum inveniri scrip-*

ſcripturarum ſcientia, neque ulla *eloquentia ſaecularis* ſuppeteret *idiotis hominibus*. Idem quoque Agatho col. 681. in epiſtola Synodica ad eundem Imperatorem, qui ad ſe epiſcopos doctos dirigi poſtulaverat, ita reſpondet: *Perfecta ſcientia ſi ad verae pietatis ſcientiam redigatur, ſola eſt veritatis cognitio: ſi ad eloquentiam ſaecularem, non aeſtimamus quemquam temporibus noſtris reperiri poſſe, qui de ſummitate ſcientiae glorietur: quandoquidem in noſtris regionibus diverſarum gentium quotidie aeſtuat furor, nunc confligendo, nunc diſcurrendo, nunc rapiendo; unde tota vita noſtra ſollicitudinibus plena eſt, quos gentium manus circundat, & de labore corporis victus eſt eo quod priſtina eccleſiarum ſuſtentatio paullatim per diverſas calamitates deficiendo ſuccubuit. & ſola eſt noſtra ſubſtantia fides noſtra, cum qua nobis vivere ſumma eſt gloria, pro qua mori lucrum aeternum. Haec eſt perfecta noſtra ſcientia.* At nihilominus una Romana eccleſia in tanta rerum calamitate linguam latinam retinuit & ſibi propriam effecit: atque apud ipſam pro conditione temporum, ſemper omnium diſertiſſimi & ſapientiſſimi ſcriptores floruerunt, ita quidem, ut primum eccleſia Occidentalis, ut docet epiſtola encyclica Vigilii Papae tomo quincto Conciliorum col. 329. & deinde una tantum eccleſia Romana antonomaſtice *Latinae linguae* nomenclationem obtinuerit, ut patet

ex

ex diplomate Stephani IX. in Bullario Cluniacensi pag. 15.

X. Ut vero etiam saxis Germonii paradoxa profligemus, juvat specimen rustici insulsique sermonis quincti & sexti saeculi proferre ex Antiquitatibus Lugdunensibus a Jacobo Sponio editis, ubi pag. 48. 49. & 74. hujusmodi epitaphia leguntur: *Epitaphium hunc quintuis* (nempe *quod intueris*) *lector bone recordationis Agapi negutiatoris membra quiescunt; nam fuit iste stacio miseris, & portus eginis omnebs arts* (nempe *arx*) *fuit praecipuae loca sanctorum adsedue, & elemosinam & orationem studuit. Vixit in pace anns* LXXXV. *ob.* VIII. *Kal. Aprilis* LXI. *P. C. Justini Indict. quarta.* Alterum epitaphium his verbis exprimitur: *Hoc tumulo jacet bonom memoriom Rapto, cui vixit ann.* XXXV. Tertium denique tale est: *Hoc tumulo quiescit bone memorius Cesarius. vixit anus* XIIII. *Requibit in pace sub die* X. *Kal. Decembris Anastasio & Rufo. VV. CC.* hoc est anno nonagesimo secundo supra quadringentesimum, temporibus nempe virorum doctrina illustrium Sidonii, Cassiodori, Caesarii. Theodericus Ruinartus in Addendis ad Gregorium Turonensem pag. 1401. recitat epitaphium, in quo legitur: *Fragele, umeda, tenit, condetum, tomolo, morebus, Abrilis*; pro *fragile, humida, tenet, conditum, tumulo, moribus, Aprilis*. Alia hujusmodi epitaphia obsoleta & barbara

bara legere eſt in Roma ſubterranea Boſii, & Aringhi, necnon in inſcriptionibus Baſilicae ſancti Paulli ad viam Oſtienſem, quas proprio nomine ſuppreſſo edidit Cornelius Margarinus, ubi inter alias haec proſtat num. 179. *Hic requieſcit in pace Sabinus VS Pref. anns qui biſſit annus* LIIII *& dies* XXIIII *DP* XVI *Kal Acuſtas Conſ. Symm. & Boetio VC. Conſs.* Viden' quanta hic elegantia & venuſtas orthographiae! & tamen hoc epitaphium compoſitum fuit ſub conſulatu Boëthii viri doctiſſimi, anno ſcilicet viceſimo ſecundo ſupra quingenteſimum. Ad calcem quoque magni Theſauri Gruteriani nonnulla quincti & ſexti ſaeculi occurrunt, quae etiamſi ſummis Pontificibus, aliiſque viris eximiis inſcripta fuerint; leges tamen grammaticae, poëticae, & orthographiae ita in iis negliguntur, ut plane aevi, quo ſcripta fuerunt, ignorantiam ob omnium oculos ponant.

XI. Neque propterea e manibus abjicienda incompta illa, &, quoad ſermonis & ſcripturae indolem, maleferiata antiquitatis rudera, atque adeo barbara & impolita; maxime ſiquid in ſe contineant, unde ad praeteritarum rerum cognitionem, majorum ritus & mores e tenebris eruendos, atque illuſtrandos ſuppetiae nobis adferantur: praeſertim vero quum inde appareat, veteres illos, qui vitae ſimplicitatem ſermone aequare ſtuduerunt, deſiderium juvandi gratiae placendi praetuliſſe. Sane quan-

quantum auri in ejusmodi latinae linguae quisquiliis & sordibus ad rem chronologicam, atque historicam illustrandam lateret, satis ostenderunt sacrae & profanae antiquitatis explanatores nostro aevo celeberrimi, & hos inter Gullielmus Godefridus Leibnitius in praefatione ad Codicem diplomaticum juris gentium.

XII. Quod vero ad sermonem eorundem diplomatum spectat, praeter Vossium patrem, & Henricum Spelmannum, qui Glossaria latinobarbara vulgaverunt, id quoque animo perceptum est a doctissimis viris, Johanne Meursio, Isaaco Vossio, & Gullielmo Noompsio, qui alia item Glossaria moliebantur, dum mors eorum consilia antevertit: & demum Carolus Cangius omnium laboriosissimus, qui quod ceteri vix attigerant, aut solum votis & mente conceperant, actu ad effectum cumulatissime perduxit, dum in tria ampla volumina quicquid barbarae & exoticae, tam sacrae, quam profanae eruditionis in mediae & infimae latinitatis editis, ineditis, publicis & privatis monumentis neglectum jacebat, ipse ingenti sane, & omnium saeculorum memoria digno conatu felicissime digessit; exemplum praebens ceteris antiquarum rerum studiosis id ipsum amplius praestandi: quod non dubito effici posse monumentis, quae passim in Italicis tabulariis delitescunt; quaeque idem Cangius ob locorum longinquitatem praesens contrectare non potuit.

XIII. At quanvis concedat Germonius rustico sermone homines usos, & multa contra Grammaticae leges peccasse; hocque ipsum de se testetur Gregorius Turonensis, qui eo sermone se in scriptis suis loquutum fatetur; nihilominus sibi persuadere non potest, diplomata haec rustico sermone, & non alio politiori a Referendariis fuisse conscripta, praesertim quum Dado sive Audoënus Rotomagensis antistes historiam sancti Eligii stilo simplici quidem, at non diplomatico scripserit: cujus tamen diplomata, dum Referendarii munere sub Dagoberto & Chlodoveo II. fungebatur, sunt penitus barbara. Atqui vel hinc patet quod superius jam abunde ostendimus, alium stilum in instrumentis, alium in historiis adhibitum: neque a Referendariis eadem diplomata fuisse conscripta, aut dictata, sed subscripta & sigillo munita. Quis adeo est a Musis & a politioribus literis alienus, ut nesciat nostro hoc aevo in Galliis & potissimum in ipsa urbe Parisiensi disertissimos & ornatissimos scriptores lingua sua vernacula claruisse, ut praeter alios sunt Jacobus Benignus Bossuetus Meldensis, Spiritus Flecherius Nemausensis, & Petrus Daniel Huetius Abrincensis episcopi; Pelissonius, Duboisius, Nicolius, Hermannus, Tillemontius, Bohursius, Rapinus, Lamyus, Abbas a Trappa, aliique innumeri ex Academia Gallica? Quod si cum istorum candidissimis scriptis diplomata regia indies edi solita conferantur,

tur, quis continuo non videat, haec tantum ab illis differre:

Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano?

XIV. Hoc sane nullo negotio assequetur Germonius, si perpenderit dictiones, verba, & orthographiam regii diplomatis ad calcem suae Disceptationis pro ejusdem editione concessi: atque inde quam facillime colligere poterit, cur *Audoëni, cum Eligii laudes prosequitur, elocutio sit sane tolerabilis; & ejusdem, cum Regis nomine diplomata conficit, oratio sit plane barbara*; nisi tamen velit & ipse deceptor audire, quasi falso diplomate, & obsoletum stilum Gallicum mentiente, operi suo regiam auctoritatem conciliare studuerit. Ejusdem omnino ponderis ac cetera, nempe levissimi, ea sunt, quae animadvertere pergit Disceptator, loquutionem scilicet Gregorii Turonensis, qui rusticam non uno in loco se adhibuisse profitetur, multum differre a rusticitate & barbarie sermonis, quo Merovingica diplomata coalescunt: unde apparere pro certo existimat, ad Reges Merovingicos ea neutiquam pertinere.

XV. Verumenimvero licet humilitatis & modestiae caussa, uti diximus, se rustico sermone usum idem Gregorius profiteatur, quum non omnino, ut ceteri suae aetatis homines rustice scripserit; nihilominus si Germonius illius opera non incogitanter volutasset, proculdubio in iis eandem crassam barbariem & rusticitatem reperisset: & primo qui-

dem casuum mutationes, idest *accusativa pro ablativis*, *feminina pro masculinis* & contra. Reperisset voces exoticas, loquendique modos plane barbaros: quibus de rebus exempla in medium proferre ob rei evidentiam supervacaneum est. Haec minime dissimulavit Gregorii clarissimus editor Ruinartus in praefatione num. c. qui insuper fatetur in codicibus MSS. Corbejensi, & Bellovacensi aliquot nomina magis barbare scribi, quam in ceteris minus antiquis; frequentioresque in illis occurrere casuum, literarum, & generum mutationes. Eadem omnino barbaries & menda aeque ac in diplomatibus sine dubio densari in legibus Salicis quisque animadverteret, si cum antiquis codicibus conferrentur; licet reapse tanta per se scateant rusticitate, ut quis facillime agnoscat, illas eodem tempore ac diplomata, fuisse literis traditas.

XVI. At quum Germonius de legibus Salicis aliquando *se fusius disputaturum* polliceatur, quod bene vertat; nihil nobis jam suppetit, nisi illius hac super re novas observationes avide opperiri, dummodo tamen ejusdem commatis non sint atque illae, quas de diplomatibus vulgavit, & simul eadem occasione de formulis Marculfianis: quas quum in accuratissima editione Stephani Baluzii cum stilo diplomatico examussim cohaerere vidisset; priorem Hieronymi Bignonii Marculfianam editionem, tanquam sinceriorem, illi antistare confidenter pronunciavit

pluri-

plurimas ob causas, quas ubi opus fuerit, proferet. Nos vero, quibus non licet esse tam disertis, omnino editionem Baluzianam priori illi Bignonianae praeferimus. quippe Carolus Cointius vir doctissimus & in rebus Francicis supra omnem laudem diu noctuque versatus, postquam illam editionem Bignonii cum codice MS. regiae bibliothecae praesenti animo contulisset, deprehendit, *Marculfi soloecos a Bignonio, cui displicebant, in multis locis correctos fuisse*; ut quidem testatur in Annalibus ecclesiasticis Francorum sub anno DCLXII. num. LIII. Quare idem Cointius ait, se genuinum Marculfum cum suis naevis citare maluisse: quod ideo monitum voluit, ut minus obstupescerent, qui plerasque Marculfi formulas stilo quam ab aliis prodierant multo vitiosiore, ac barbariore vulgatas in ejus Annalibus reperissent.

XVII. Male itaque cum Gregorii Turonensis stilo, Marculfianum consentire debuisse caussatur Germonius; Marculfus enim vere diplomatico sermone; Gregorius autem literario, licet ex vitio aetatis suae inquinato & salebroso, usus fuit: quippe Marculfus formulas suas edidit, ut palatii, monasteriorum, & ecclesiarum notariis exempli loco essent, quanquam nulla eis accesserit auctoritas, unde vim legis haberent: immo ex editis antea instrumentis easdem excerptas fuisse a Marculfo, potiusquam proprio ipsius marte & ingenio confectas, notavit Mabillonius in Annalibus Benedictinis libro decimoquarto pag.419.

Hinc

Hinc refellitur Criticorum audacia, qui vel superiorum temporum monumenta ad Marculfianas formulas exigunt; vel instrumenta ab illis vel latum unguem discrepantia, statim falsa pronunciant: quasi eaedem formulae publici juris evasissent ubi primum fuerunt conscriptae; aut privati monachi placita pro publica lege habenda fuissent. Rectissime itaque a Baluzio actum, qui in nova Marculfi ad Capitularia Regum Francorum editione, Bignonii textu posthabito, purum putum Marculfum ex vetustis exemplaribus restituit, quemadmodum in praefatione ad priorem tomum num. LXXXVII. nobis aperuit; scilicet, ut virum accuratissimae censurae decebat, probe noscens, orationis vitia Marculfianae auctoritati nequicquam officere, quum ex commutatione literarum, vocabulisque forensibus, in formulis, ut etiam hodie, usitatis, consulto fuerint usurpata. Sane veteres chartae, ut sequior aetas ferebat, soloecismis obsitae, simplicem, & minime fucatam veritatem spirant, adeoque etiam propter hos naevos sunt venerabiles. Hinc scriptor maximus Caesar Baronius prudenter admonuit, in illis edendis soloecismos & barbarismos esse retinendos: ***Nam sciendi curiositas quaeque aspera condiens suavia reddit***, inquit anno MXIX. num. V.

CA-

CAPUT XI.

Aetas Anonymi Sandionysiani, qui scripsit Gesta Dagoberti I. Ejus maximi errores, & levissima auctoritas. Propositum Jacobi Doubleti in historia Sandionysiana.

I. QUam securum alieni judicii hucusque Germonius se reputaverit, si non alibi, disertissime palam facit in capite septimo primae partis suae disceptationis, cui novis ingenii sui repertis postremum colophonem imponere voluit, rursus invadens tabularium Sandionysianum suspicionibus a Papebrochio, ut ipse ait, minime excogitatis: & recte quidem; etenim in mentem scriptoris doctissimi nonnisi tanto viro dignae ratiocinationes & argumenta venire poterant. Duplici autem cuneo procedit Diplomatomastix utrinque innixus, Anonymo Sandionysiano, qui scripsit Gesta Dagoberti I., & Jacobo Doubleto, historico item Sandionysiano: quorum priorem ex bibliotheca Petaviana vulgavit Andreas Duchesnius Parisiis anno MDCXXXVI. in tomo primo Historiae Fran-

Francorum pag. 572. eundemque nuperrime ex codice MS. bibliothecae Jenensis, saeculo duodecimo exarato, iterum vulgavit vir eruditus Burchardus Gotthelffius Struvius in suis Actis literariis, a nobis Capite VII. num. III. jam memoratis. Doubleti autem Historia Gallica Abbatiae sancti Dionysii prodiit Parisiis anno MDCXXV. Quumque Disceptator a neutro ex his duobus scriptoribus & recitata vidisset omnia & singula diplomata ex Sandionysiano grammatophylacio per Mabillonium vulgata, eadem quasi fungos una nocte postmodum natos, conclamare non dubitat: ac si quicquid iisdem auctoribus indictum fuit, inter commenta recenseri omnino mereretur.

II. Ut ostendamus, Disceptatorem conquassato praesidio inniti dum eodem Anonymo duce & auspice de chartis Sandionysianis fidentissime judicat; qualis quantusque scriptor ipse fuerit aperire necesse est. Duchesnius existimavit eundem fuisse Dagoberti I. contemporaneum; at vero Petrus de Marca in Historiae Beneharnensis libro primo capite vicesimo sexto num. I. floruisse opinatur sub Chlodoveo II. cujus obitu historiam suam clausit. Sed error utrunque occupavit; & duabus ex caussis illum juniorem esse probari putamus; primo quod capite quadragesimo tertio chartam *vetustissimam* vocat, ab Audoëno Rotomagensi episcopo scriptam, qui diem obiit anno DCLXXXIII. ex Cointio ibidem num. V. regnante Theoderico III. Chlodovei II. filio postre-

postremo: deinde vero quod sub initium operis sui capite tertio sanctum Dionysium, primum quidem *Parisiensis urbis* episcopum illuc a Clemente missum; sed non *Areopagitam* appellat, unde auctor paullo seniorem se prodit Hilduino abbate Sandionysiano, qui sub Ludovico Pio eundem Dionysium primus omnium cum Areopagita confudit, ut viri docti probarunt: licet tamen ante Hilduinum a Clemente Dionysium in Gallias missum jam creditum fuisse, ostenderit Mabillonius in Analectis tomo primo pagina 63. Eundem Anonymum Dagoberto longe recentiorem facit etiam clarissimus Gotthelffius, qui illum notis illustravit.

III. Quare non amplius latet aetas hujus Anonymi, qui res gestas a Dagoberto, & ab ejus filio Chlodoveo multis fabulis aslutas consarcinavit, ut ea occasione monasterium suum a Dagoberto conditum, sancti Dionysii & sociorum pignoribus ditatum, & amplissimis opibus & possessionibus auctum, laudibus ornaret. In iis autem gestis Chronicon Fredegarii ubi a nece Regis Chilperici ad annum quartum ab obitu Dagoberti res Francicae per annos dispositae narrantur, prompta manu versavit, inde exscribens vitam Dagoberti I., & quasi per occasionem de basilica Sandionysiana multa dedita opera inseruit: in quibus fidem integram ipsum mereri quotiescunque a Fredegarii verbis & sensu non recedit, ultro fatemur; sed saepenumero eum labi in errores,

& fabulas internectere ubi Fredegarium elegantiorem reddere vel interpolationibus augere ſtudet, jure nobis quoque concedi petimus.

IV. Varia de hoc paſſim exempla profert Cointius, quale eſt anno DCXXX. num. X. quod de Chlotarii II. Dagoberti parentis bello Saxonico contra Bertoaldum ducem, & de crudelitate in Saxones exercita Anonymus ſcribit capite primo pag. 574., quum tamen Fredegarius capite quadrageſimo ſecundo de eo affirmet, quod annis ſexdecim regnaverit *pacem habens cum univerſis gentibus vicinis*: quod ſatis ſuperque contra eundem Anonymum, aliosque confirmat etiam Hadrianus Valeſius in libro duodeviceſimo rerum Francicarum, ubi quae de Cervo, qui inſequente Dagoberto in aedem Sandionyſianam perfugerit, ut Anonymus narrat capite ſecundo, tertio, & quarto, itidem Valeſius inter fabulas reponit. In ipſo narrationis exordio Dagobertum Beretrudis filium facit, & antequam regno Auſtraſiae praeficeretur ab Arnulfo Metenſi epiſcopo educatum. At Beretrudem non Dagoberti, ſed Chariberti matrem fuiſſe notavit idem Valeſius; & Arnulfi curae non ante, ſed poſt regnum commendatum fuiſſe ſcribit auctor coaevus in vita ſancti Arnulfi, & Fredegarius capite quinquageſimo octavo. Cetera figmenta, quae a capite ſexto ad undecimum uſque explicantur exſufflat idem Valeſius libro duodeviceſimo a nobis ſupra memorato.

V. In

V. In eundem cenſum venit *manus publica* ab Anonymo capite viceſimo ſecundo male explicata; etenim *manus publica* eſt Imperium Romanum apud Fredegarium capite duodeſexageſimo & undeſexageſimo, ubi ait Langobardos *de manu publica*, ideſt ab Imperio Romano, *tria centenaria auri annis ſingulis* pro tributo recipere ſolitos fuiſſe: Anonymus vero *manum publicam* non Romanum Imperium, ſed *publicam conſpirationem* ineptiſſime expoſuit, in hoc a Fredegarii mente longe abjens, ut oſtendit Cointius anno DCXXVIII. num. XVI. & XVII. Labitur quoque capite duodetriceſimo, ubi de Sigeberti Regis baptiſmo ſermonem faciens, Amandum Trajectenſem epiſcopum memorat, qui tunc ex Cointio anno DCXXX. num. II. eum epiſcopatum nondum obtinebat.

VI. Alias ejuſdem Anonymi alucinationes congerit loco mox indicato, atque alibi doctiſſimus Cointius, quas non repeto ne actum agam, quum has paucas ſufficere putem ad oſtendendum quam fluxae fidei ſcriptori nitatur Germonius pro evellenda inſtrumentorum auctoritate, quorum ipſe Anonymus Sandionyſianus non meminit, dum ea, quae de induſtria ſcribenda ſuſcepit, nempe Geſta Dagoberti I. & illius filii Chlodovei II. putidiſſimis fabulis & metachroniſmis ubique deturpavit. Quod ſi e re nata nonnulla de coenobio Sandionyſiano, quae ad eosdem Reges pertinere noverat hinc inde intermiſ-

S ij

miſcuit; quisnam hac una de cauſſa univerſa diplomata vel ab iisdem, vel a ceteris Regibus poſtea conceſſa, quae ipſe non recitavit, pro ſuſpectis habenda jure putaverit, ſi ejus propoſitum non fuit ſingula enumerare, ut ipſe capite quadrageſimo tertio diſerte teſtatur, ubi ait, ſe multas Dagoberti donationes praeteriiſſe, *ob faſtidientium lectorum vitandum taedium*. quare inſigniora tantum recenſuit, quae ipſi ſcribenti in mentem venerunt: nec ei forte Sandionyſianum Archivum revolvere datum fuit, quemadmodum a Centulenſi etiam monachos excluſos fuiſſe docet Hariulfus, ubi ait ſyncellitas ſuos diu res proprias ignoraſſe, neque ſua tenuiſſe, quod *armaria ſecretis clavibus condita* eos arcerent, ut vidimus Capite ſecundo num. VII. Mirari proinde aequum eſt, a Germonio affirmari potuiſſe, quod Anonymus *reliqua ſive iſtorum, ſive poſteriorum Regum diplomata non omiſſurus* fuiſſet, *ſiquae alia in coenobii ſui archivo recondita tunc fuiſſent*; & quod propterea chartas Merovingicas Anonymo indictas, quas Doubletus & Mabillonius vulgarunt, omnes ad unam *in deperditorum inſtrumentorum locum ſenſim pullulaſſe* arbitretur.

VII. Si Anonymus hiſtoriam coenobii Sandionyſiani a prima exſtructione ad ſuam uſque aetatem fuſe & accurate deſcribere ſtatuiſſet, haud inficias irem, omnes vel potiſſimas Regum donationes pro eadem baſilica, ab illo recenſeri debuiſſe;

ſed

ſed quum Geſta Dagoberti I. & Chlodovei II. enarrare voluerit, non recta procedit Germonius, dum ait: *Non videtur fuiſſe ſilentio plane praetermiſſurus donationes Theoderici II. Chlodovei III. aliorumque e prima ſtirpe Regum, ſi illarum donationum acta in tabulario monaſterii ſui nactus fuiſſet*. In eodem errore verſatur dum Anonymum *diplomata omnia Dagobertina* ſuo aevo in coenobio Sandionyſiano adſervata, noviſſe & enumeraſſe, ope dialecticae argumentationis evincere ſtudet; ut hinc procul inter apocrypha rejiciat diploma laudati Dagoberti pro villa *Iticinoſcoa*: quod ab eodem Anonymo neutiquam memoratum, Mabillonius aeri inciſum exhibuit libro quincto pag. 374. & typis deſcriptum libro ſexto pag. 465. *Quare*, inquit Germonius, *cum nullam mentionem faciat de corticeo ac mutilo diplomate pro villa Iticinoſcoam, quod aeri inciſum exhibuiſti: cum pleraque taceat, quae Dagoberto tribuit Doubletus; conſtat ipſius aetate nullum iſtorum extitiſſe in archivo Dionyſiano*.

VIII. At forte quis facile ſibi perſuadebit, ſi non alia, ſaltem ea, quae Anonymus memorat diplomata, inter legitima a Germonio reputari: quod tamen ab immiti, & implacabili veterum chartarum hoſte neutiquam ſperare licet; quanvis enim ſcribat, ea ſibi *multo minus eſſe ſuſpecta, quam quae ſubſequentibus ſaeculis ex eodem archivo prodierunt*, poſtea magno animo affirmat, *neque tamen omnino*

certa

certa videri. Cur vero? quia Anonymus non fuit *aequalis temporum Dagoberti I.* quae ratio differendi non solum diplomata ab Anonymo laudata impetit, sed quotquot nuper ex Bibliothecarum latebris in publicam lucem eduxerunt clarissimi viri a nobis alias memorati, quorum maxima pars nec aequalis, nec suppar est temporibus, quibus ea conscripta fuerunt. Quotus enim quisque est, qui non norit nostro tandem & patrum aevo potissimum florere coepisse studium penitiora tabularia rimandi, atque inde quodcunque res majorum illustrare potest, in apertum proferendi? Unum hoc addam, Disceptatorem manifeste jocari dum his argutiis artem suam *secernendi antiqua diplomata vera a falsis* tam curiose confirmat; cur enim fidem abrogat diplomatibus, quia sunt ab Anonymo praetermissa, si etiamsi ab eo praetermissa non fuissent, ipsi nihilominus haberentur suspecta non secus ac cetera, quae non praetermisit, & disertis verbis laudavit?

IX. Jam vero ad Doubletum diatribas convertamus, quem universum archivum Sandionysianum ita funditus evacuasse putat Germonius, ut nihil omnino posteris edendum reliquerit: & quicquid a Doubleto indictum inde Mabillonius extraxit, nudiustertius post Doubletum ibidem primo pullulasse absque dubio censeri debeat, parpyri nimirum & phylirae sarcinis ex Aegypto ad ea diplomata edolanda nuperrime advectis. Sane Germonius hoc

hoc pacto de Doubleto disceptans aeque ac ubi de Anonymo Sandionysiano disceptavit, a recto nimium quantum declinat: nam Doubletus, qui primus omnium historiam sui monasterii tot saeculis ab ejus origine, & monumenta, quae colligere potuit, vulgare decrevit, nusquam professus est quidcunque veterum chartarum ibidem aut alibi, illuc spectantium latebat, se in apertum educere, nihilque prorsus ineditum relinquere; verum eas praetermittens, quae ad Sandionysianam historiam non pertinebant, solum vulgavit quas in rem suam facientes exscribere aut legere potuit: non potuit autem omnes, unde in libro tertio de re Diplomatica capite secundo p. 223. Mabillonius, discipulus Lucae Dacherii, qui fuit Doubleti contemporaneus, *multa* esse ait diplomata, *quae Doubletus ex autographis eruere non valuit, aut quae ipsum fugerunt*, *qualia*, inquit, *sunt ea*, *quae bic in lucem damus*: quaeque *certa*, *vera*, *sincera*, *ac genuina esse incunctanter affirmo & propugnare paratus sum*: quibus verbis quasi futurorum praescius, Germonii cavillationibus in antecessum occurrere voluit.

X. Quis porro praeteritorum temporum memorias primus vulgare adgreditur, qui posteris nullas omnino spicas a tergo legendas relinquat? magnus christianae historiae reparator Baronius omnem operam posuit in derivando in aeternos Annales quicquid rerum ecclesiasticarum in scriniis bibliothecae Vaticanae late-

latebat, & tamen omnia non vidit; unde poſt Baronium pretioſiſſima antiquitatis monumenta ex iisdem ſcriniis prodierunt tam noſtratium cura, quam ceterorum, quibus, licet procul ab Urbe morantibus, liberaliter & ampliſſimo eccleſiae ſoenore datum fuit ex gaza illa incomparabili in publicos uſus ſacrarum literarum reliquias extrahere: nec ſane dubitandum quin etiam noſtro hoc & futuris temporibus alia nobis, atque iis, qui ſuperiori aetate vixerunt non viſa inde ad commune emolumentum educi poſſint. De antiquitatibus Sandionyſianis ſcripſit Doubletus, & jam ſcribit Michaël Felibienius ejusdem loci aſceta eruditiſſimus, qui ſine dubio multa a Doubleto neglecta, ignorata & praetermiſſa in ſuas lucubrationes transferet; neque ideo tamen, quantum auguror conjectura, apud literariam Rempublicam, donec ea ſtabit cum dignitate, ſuſpicionis notam incurret.

Finis Libri Primi.

VIN-

VINDICIAE ANTIQUORUM DIPLOMATUM

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Donationum pro animae remedio *antiquitas contra Claudium Fauchetum. Sinceritas chartae Dagoberti I. Clippiaci conſcriptae. Nomen Dagoberti varie prolatum.*

I. HUcusque priorem ſuae Diſceptationis partem Germonius perduxit, quicquid argumentorum, & conjecturarum ipſi in mentem venit, in ea generatim exponens ad evertendam unico ictu omnium diplomatum, quae ſuperſunt antiquitatem & fidem. Dehinc vero propius rem agens, aliquot ex autographis Merovingicis & Carolinis a Mabillonio propoſitis ſingulatim expendit, & veluti commenticia, ut par eſt credere, exſibilat, ut inde, quae reliquorum ſit ſors & conditio, ex his quisque cognoſcat. *Pauca*, inquit, *de multis examino, ex quibus judicium*

feratur de reliquis. Et quod caput rei eſt, Mabillonium de more alloquens iſta ſubjungit: *Ne tamen exiſtima conquiſiviſſe me ſedulo & conſulto ſelegiſſe, ſi quae forte in tanto numero minus firma fuerint & certa. Haec ipſa potiſſimum perpendere placuit, quae tu omnium certiſſima judicas, quae incidi in aes curaſti, ut eſſent indubitatorum autographorum ſpecimina*. Quare ne rem diplomaticam ipſi ocioſi tanto in periculo verſari conſpiciamus, haec minitante Diſceptatore, non perfunctorie in id nobis incumbendum eſt, ut errores, quibus utranque paginam implet, pro virili noſtra ſecuros abire non patiamur.

II. Quam chartam prae aliis examinandum ſibi proponit Germonius, ex archivo Sandionyſiano aere & typis a Mabillonio deſcriptam Wandelberto Duci, & Raganrico domeſtico ſuo Rex Francorum Dagobertus hujus nominis primus direxit *anno decimo regni ſui*, ideſt altero & triceſimo ſupra ſexcenteſimum, ex calculis accuratiſſimi Cointii. In eadem charta decernitur, villam agri Pariſienſis *Iticinoſcoam*, vulgo *Eſcoven*, baſilicae ſancti Dionyſii concedi *pro regni ſtabilitate, & remedio animae ſuae*: quae particulae indubiam chartae antiquitatem demonſtrant. licet enim Claudius Fauchetus in Antiquitatibus Gallicis libro quinto capite decimo non ante Dagobertum pias donationes *pro animae remedio* occurrere putaverit; & primas fuiſſe *ad*

opus,

opus, ſeu pro clericis, pauperibus, & aedificiis ſacris, deinde *in uſum luminarium*, & *ſarta tecta*, ſeu reparationem eccleſiarum; nihilominus amplum & luculentiſſimum teſtimonium, rem his contrariam evincens ſupereſt in Marculfi formula prima libri ſecundi, utpote quae in re tunc paſſim vulgata, & antiqua, exemplum eſt donationis ad conſtructionem xenodochii, aut monaſterii *pro remiſſione peccatorum*.

III. Hunc morem illuſtris Bignonius vetuſtiſſima quaeque monumenta praeferre obſervavit, quae ad veniam a Deo dantibus impetrandam facta dicuntur. Et quidem diſertiſſimus Salvianus integris quatuor libellis, ad eccleſiam ſub Timothei nomine ſcriptis, divites etiam atque etiam hortatur, ut a peccatis abhorreant, tandemque crimina ſua piis largitionibus redimant. Sic Chrodinus celeberrimus eleemoſynarius, cujus laudes Venantius noſtras decantavit, apud Gregorium Turonenſem libro ſexto capite viceſimo Hiſtoriae Francorum, bona ſua eccleſiis & pauperibus erogans, *ſint haec*, ajebat, *data, ut dum de his pauperes reficiuntur, mihi veniam obtineant apud Deum*. Et Radegundis Regina in epiſtola ad epiſcopos Galliae apud eundem Gregorium libro nono capite altero & quadrageſimo, memorat donationes ab aliis factas *pro animarum ſuarum remedio*. Haec tamen eouſque abjerunt, ut plerique donationibus piis quaecumque crimina nullo

negotio expiari opinarentur, & idcirco ex industria peccarent: quod delirium Concilium Cabilonense II. anno DCCCXIII. reprobavit canone tricesimo tertio in magna collectione Labbei tomo octavo col. 280.

IV. Diplomati nostro Dagobertino subscribit Dado, alio nomine Audoënus Dagoberti Referendarius, de quo haec habet Fridegodus, sive quis alius in ejus vita apud Surium die vicesima quarta Augusti. *Audoënus cognomento Dado auricularii locum & munus in aula Regis obtinuit: itemque ad obsignanda scripta, & edicta regia, quae ab ipso conscribebantur, sigillum vel anulum custodiebat.* Et paullo infra: *Ad illius nutum omnia palatii negotia gerebantur. Ejus consiliis optimates omnes, atque ipse Dagobertus Rex, ceu divinis oraculis parebant.* Ab Aimoino libro quarto capite primo & quadragesimo ideo vocatur Referendarius, *quod ad eum universae publicae deferrentur conscriptiones, ipseque eas anulo Regis, sive sigillo ab eo sibi commisso muniret seu firmaret.* Ipsemet Dado in vita sancti Eligii apud Dacherium tomo quincto Spicilegii pag. 168. pro modestia, quasi de alio scribens, haec de se habet: *Denique* Eligius *apud Regem* Dagobertum *habitans habebat mansionem assidue conjunctam cum Dadone, sicut enim animam suam ita diligebat eum.* Datum est privilegium Clippiaci in agro Parisiensi, cujus mentio occurrit in actis Dagoberti apud Fredegarium & alios: quorum testimonia

monia in unum congesta videsis apud Mabillonium libro quarto pag. 273. Haec ideo referre placuit, quia non parum conducere possunt sarto tecto reddendo eidem privilegio adversus novas objectiones, quas Germonius tribus potissimum caussis suffulcit. Primo quia non recensetur ab Anonymo Sandionysiano, neque a Doubleto. Secundo quia privilegium illud simile est alteri diplomati Chlodovei junioris. Tertio quia in eodem *Dagoberctbus* scribitur cum *c* & *h*, & non *Dagobertus*.

V. At ex ceteris commentis jam superius dissipatis primi quoque ex his tribus ruinam sequi necesse est, quum neque Anonymus, neque Doubletus amplissimum, & refertissimum archivum Sandionysianum diligenter excusserint, neque ejus instrumentorum catalogos unquam texere cogitaverint: unde liquet Disceptatorem extra chorum, ut ajunt, quamlongissime saltare ubi diplomata, quae laudati scriptores non recensuerunt, ipse, tanquam adulterina, aspernari non dubitat eo pacto, quo quicquid sub nomine Ignatii martyris, praeter septem illas celebres epistolas ab Eusebio & Hieronymo memoratas, circunfertur; & quicquid Augustino adscribitur, quod Possidius in Indiculo praetermiserit: aut Isidoro tribuitur, quod Hildephonsus reticuerit, continuo inter suspecta rejicitur. fallaciam enim hujusce argumentationis statim nudari quis non videt, secum animo reputans Eusebium & Hieronymum

mum dedita opera omnes Ignatianas epiſtolas ſuo aevo ſuperſtites, nulla omnino praetermiſſa, enumeraſſe; Poſſidium ſingulas Auguſtinianas; & Hildephonſum Iſidorianas lucubrationes indicare voluiſſe, quum e contrario neque Anonymus, neque Doubletus de tabulario Sandionyſiano id agere unquam ſomniaverint.

VI. Altera ſuſpicionis ratio cum priori illa in pondere utrobique contendit. quid enim levius, quam ſuſpicionis notam inurere diplomati Dagoberti I. hac cauſſa quod in charactere, in barbarie, in cortice Aegyptio; in eo, ad quem dirigitur, ſcilicet Wandelberto; in mutilatione, & in ſilentio Anonymi & Doubleti, ſimilitudinem gerat alterius diplomatis Chlodovei II. ejusdem Dagoberti filii? Si fuit exaratum duobus & viginti annis duntaxat ante Chlodoveanum, cur non debet ei eſſe ſimile in genere characteris, in ruſticitate ſermonis, & in materia, in qua ſcriptum fuit? Cur Wandelbertus ſub Dagoberto I. juxta ac ſub Chlodoveo ejus filio & ſucceſſore, vivere non potuit? Et ſi diploma illud aeque ac alterum eſt antiquiſſimum, cur utrunque vetuſtate conſumptum eſſe non oportet? Si Anonymus & Doubletus omnes rationes illud memorandi procul habuerunt, cur ideo dubiae fidei reputandum eſt? Quod autem diploma Chlodovei ſit falſum, ideoque etiam Dagobertinum *ſimillimum falſo*, de hoc diſputabimus capite tertio, in quo Germonianam

nam dialecticen illam excutiemus, ubi ita disceptat: *Diploma Dagoberti pro villa Iticinoscoam est simillimum falso. quod autem est simillimum falso, nec potest ab eo ulla nota secerni, non debet inter indubitata autographa numerari.*

VII. Sed tertia ratione vix quicquam indignius, ut in viri eruditi mentem veniat, excogitari potest, nempe ob unam & alteram literulam nomini Dagobertino dedita opera vel oscitanter superadditam, diploma illud despiciendum arbitrari, in quo non *Dagobertus*, sed *Dagobercthus* scriptum apparet: quasi vero nomina illa barbara cujusque libitu scribi non consueverint, ut superius ostendebamus capite nono num. x. In monetis Francicis apud Bouterovium pag. 294. & 318. & apud Leblancum pag. 50. illud idem nomen diversis modis scriptum reperitur, nempe *Dagobertus*, *Dagoberte*, *Dagover*, *Dagoberts*, atque etiam *Dagobertbus*: quod postremum quum Germonius dissimulare non potuerit, mirum est cur adhuc errorem suum non exuerit, praecipue quum in uno ex laudatis nummis legatur *Dagoberthus Rix* pro *Dagobertus Rex*, scilicet ex vitio pronunciationis ob vicinitatem soni inter literam *e* & *i*; & ob sonum insensibilem literae *c* quotiescunque praecedit literae *t*, quemadmodum docent veteres inscriptiones in Roma subterranea, & in magno Thesauro Gruteriano, in quibus legitur *santus* & *sanctus*, *fatus* & *factus*, atque his similia.

VIII.

VIII. Si vero ea variatio, atque ortographiae inconſtantia ſaepe occurrit in nummis breviſſime, & accuratiſſime inſcriptis; quid miraculi eſt, eandem offendi in inſtrumentis per imperitos tabelliones exaratis; & literam *c* ex dictis cauſſis redundare in voce *Dagoberctbus*? Profecto ſi his momentis in praeteritorum temporum rudera eſſet animadvertendum, univerſa antiquitas quamfacillime exploderetur? Quare nondum intelligo quomodo fieri potuerit, ut Auctor, qui in arte critica ſibi videtur exercitatus, circa ejusdem nominis Dagobertini orthographiam adeo ſteterit, ut haec ſcribere non dubitaverit: *Non vereor dicere, vel hoc unum in ſubſcriptione regia vitium orthographiae, toti diplomati inurere notam aut ſaltem ſuſpicionem falſitatis*. quaſi vero in nullo alio privilegio id legatur, quum tamen *Dagoberctbus* cum *c* & *b* non vero *Dagobertus* ſubſcriptus compareat in altero quoque indubiae fidei diplomate pro monaſterio ſancti Dionyſii in Annalibus Benedictinis tomo primo pag. 685. nuper vulgato. An vero *nomen Regium alio modo ab ipſo Rege, Dadone Referendario & notariis regiis, alio ab Eligio & monetariis ſcriptum* fuerit, quod Diſceptator ſe non facile credere affirmat, jam oſtenſum eſt, idque amplius oſtendi poſſet ex nominibus aliorum Principum diverſo modo expreſſis, de quibus in libro ſuperiori actum fuit. Sed quum ſupervacaneum ſit rem centies dictam rurſus adſtruere, ad alia cum Germonio properamus.

CA-

CAPUT II.

Praeceptum Chlodovei II. minus recte a Sirmondo emendatum. Immerito in ſuſpicionem vocatum a Gerardo Duboiſio; & interpolationis vitio notatum a Cointio. Subſcriptiones abſque recenſione ſedium aliquando ab epiſcopis factae. Sigebertus III. Rex Auſtraſiae quo anno diem objerit. Radobertus Majordomus ſub Chlodoveo II.

I. EANDEM incudinem tundit Germonius in examinando diplomate altero, quo Chlodoveus junior Dagoberti I. filius majorum donationes monaſterio Sandionyſiano confirmans, a cujuſcunque poteſtate illud eximit, Landerici Pariſienſis epiſcopi libertatis privilegium auctoritate ſua roborans. Hoc praeceptum Chlodoveanum primus omnium vulgavit Doubletus in libro tertio capite quarto; & deinde vir eruditionis fama ſuper aethera notus Jacobus Sirmondus in tomo primo Conciliorum Galliae, multas ſubſcriptiones atque emendationes exhibens, necnon ſtili barbariſmos pleroſque marte ſuo corrigens: quae

ſummi viri libertas arriſit doctiſſimo Cointio, ubi easdem Chlodovei literas in Annales ſuos protulit ad annum DCLIII. num. XXXII. rejectis ad marginem orationis vitiis, quae ipſe Doubletiana aſſumenta existimavit, ratus praeceptum illud a Doubleto *conſulto depravatum, ut chartam inſinuaret antiquiorem, & potiori dignam fide*. Sed Mabillonius in libro ſexto de re Diplomatica numero VII. pagina 467. vitia illa non Doubleti depravationi, ſed ſaeculi genio tribuenda eſſe ex Marculfo per Baluzium integritati ſuae reſtituto conſtare animadvertit; necnon ex iis, quae de ſtili barbarie initio libri primi diſſeruit: quibus perpenſis, ſi tamen perpendit, mirum eſt Gerardo Duboiſio in hiſtoria eccleſiae Pariſienſis libro quarto capite quincto pagina 192. *ſcrupulum* ingeſſiſſe *orationis & ſcriptionis crebra vitia, quae quandam affectati ſtili*, ut ait, *ſuſpicionem creant*. Profecto vel hinc, omnem ſcrupulum evellendum eſſe, ex iis, quae nos diſputavimus, ſatis patere arbitror. Quare non Doubletus, ſed Sirmondus diploma emendavit: quod poſtea Mabillonius aere & typis ex ipſo autographo accuratiſſime expreſſum libro quincto pagina 377. & libro ſexto pag. 466. ob oculos poſuit.

II. De hujuſce praecepti auctoritate pluribus mentem ſuam aperit Cointius a numero triceſimo ſecundo ad quadrageſimum primum anni ſuperius indicati, ubique pro certo habens, & digito oſtendens,

dens, illud esse conforme textui monachi Sandionysiani, & formulae Marculfi, *itaut nullam in eo falsitatem, aut interpolationem esse sentiat.* Tum numero tricesimo sexto, comparato diplomate cum formula secunda libri primi Marculfi, ait, in more positum fuisse, ut privilegio episcopali non episcopus tantum, a quo concedebatur, sed alii quoque episcopi subscriberent: quae ratio non erat, ut ipse putat, praecepti regii: *Praecepto*, inquit, *seu concessioni regiae nemo subscribebat praeter regem, ejusque Referendarium*: *quapropter expunctis episcoporum & procerum subscriptionibus* in eodem diplomate Chlodoveano, *quae lapsu temporis interpolatae fuerunt*; *Chlodovei praeceptum hoc exitu claudendum arbitramur. Quam auctoritatem ... . infra roborari. Chludovius Rex signavi. Ego Geroldus obtuli & signavi. Data sub die x. Julii* &c. Quibus continuo haec subdit Cointius: *Hac ratione solvuntur omnes objectiones, quibus critici praeceptum Chlodovei regis impugnant.*

III. Sed importuna haec censura nulla est Mabillonio, qui literis regiis aliquando episcopos & proceres subscripsisse jam notaverat in libro secundo capite primo & vicesimo: quique omnem dubitationem evellendam jure existimat ex specimine genuino cum omnium episcoporum & optimatum subscriptionibus a se exhibito: quas item mire confirmat monachus Sandionysianus, & Ai-

 moinus,

moinus, qui earundem ſubſcriptionum meminerunt, ſanctos etiam nonnullos ex ſubſcribentium numero laudantes. Sed Hilduinus abbas Sandionyſianus quemcunque dubitandi locum penitus adimit dum in genuino archetypo de partitione bonorum ſui monaſterii per Mabillonium vulgato in libro ſexto num. LXXV. pag. 519. Chlodoveanum hocce praeceptum dicit *roboratum manibus ſanctorum, qui uſque hodie miraculis coruſcant*, quorum ſeriem diligenter examinat Cointius numero triceſimo ſeptimo anni ſuperius expreſſi.

IV. Notat Mabillonius, epiſcopos ibidem ſubſcriptos plerunque ſedes ſuas reticuiſſe: quod in literis Synodicis, immo & non raro in ipſis Conciliis contingere obſervat contra Papebrochium, qui in Propylaeo ad tomum ſecundum Aprilis numero viceſimo quarto ſupra centeſimum, quod epiſcopi huic diplomati ſubſcribant, *non expreſſo ſedis ſuae titulo, merito ſuſpectum eſſe & in hac & aliis ſimilibus chartis*, opinabatur. Addo ego ex multis, quae occurrunt pro ſententia Mabilloniana, in diplomate Sigualdi Patriarchae Aquilejenſis, quod ex autographo Brixiano edidit Cornelius Margarinus in tomo altero Bullarii Caſinenſis pag. 16. poſt eundem Sigualdum ſubſcribere Apollinarem, Ottonem, Julianum, & Felicem unum & alterum; omnes epiſcopos, propria ſede minime expreſſa. Notitiae item Conradi Burgundiae Regis apud Samuelem

muelem Guichenonium in bibliotheca Sebusiana pag. 240. eodem modo quatuor episcopi subscribunt.

V. Alio pergit Germonius ad diem dicendum praecepto Chlodoveano. quum enim praeter Chlodoveum *Sigebertus Rex* in illo subscribat, quemadmodum ex monogrammate Mabillonius conjecit, vel hinc censor, se probare putat diplomatis falsitatem; quia nempe eundem Sigebertum silentio praeteriit Aimoinus libro quarto capite quadragesimo primo, & Anonymus Sandionysianus capite quinquagesimo primo, ubi ejusdem praecepti & magnatum conventus Clippiacensis meminerunt. Sed facillime hoc jaculum retunditur: non enim iidem auctores accuratissime ad unum omnes enumerarunt, neque enumerare poterant, si trecentis & amplius annis ab eodem conventu scripta sua fabulosa Anonymus farcinavit, quem postea Aimoinus exscripsit. Neque minus infeliciter opponit Germonius, Sigebertum hujus nominis III. Austrasiae seu Franciae Orientalis Regem, aliquot annos diem suum obiisse antequam conventus Clippiacensis celebraretur, quod contigit anno Chlodovei junioris decimo sexto, nempe Christi DCLIII. uti alibi diximus. nam licet Sigebertus non decesserit anno mox indicato, ut putavit Godefridus Henschenius in diatriba de tribus Dagobertis, fretus potissimum argumento quod auctor ejus vitae tradat, Sigebertum *obiisse*

obiisse kalendis Februarii, expletis aetatis suae annis XXXI. *regni autem* XXVIII. *anno ab incarnatione Domini* DCLXII. *a transitu sancti Martini* CCLXIII. e quibus characteribus nullum retinendum existimavit, praeter illum, qui ducitur ab Incarnatione Domini; obsservavitque, kalendas Februarias, quas auctor, annum a Paschate solitus inchoare, tribuit anno Christi DCLXII. incidere in annum DCLXIII. si a kalendis Januariis initium anni petatur; nihilominus nec illas temporis notas, nec ceteras servandas Cointius existimat ad annum DCLIV. n. VI. quo quidem anno, qui fuit ab obitu sancti Martini CCLVII. multis secum consentientibus, Sigebertum statuit ad plures ivisse, postquam vixisset annos quatuor & viginti, atque uno & viginti regnasset.

VI. Quare obiit Sigebertus III. Austrasiae Rex integro anno a conventu Clippiacensi. Laudat quidem Germonius pro sua sententia Anonymum, qui scripsit Gesta Regum Francorum usque ad Theodericum II. quem auctorem primus edidit Marquardus Freherus, & ampliorem deinde Duchesnius tomo primo Historiae Francicae. At ex hoc nihil recti unquam exsculpere poterit, nisi quod multis annis regnaverit: *Chlodoveum*, inquit capite quadragesimo tertio pag. 717. *filium ejus*, nempe Dagoberti, *Franci super se Regem statuunt. Accepitque uxorem de genere Saxonorum nomine Bathildem pulchram valde, & omni ingenio strenuam. Post haec*

haec autem Sigebertus Rex Austrasiorum, Pippino defuncto, Grimoaldum filium ejus in Majoremdomatus statuit. DECEDENTE *vero* TEMPORE, *defuncto Sigeberto Rege*, &c. Aimoinus libro quarto historiae Francorum capite quadragesimo primo apud Duchesnium tomo tertio pag. 119. ne verbum quidem habet de Sigeberto fato functo ante conventum Clippiacensem: nec quicquam amplius de hoc somniavit Notgerus Leodiensis in vita sancti Remacli apud Surium die tertia Septembris; neque *alii passim*: quod tamen lectoribus suis persuadere voluit Germonius.

VII. Chlodoveano diplomati inter alios magnates subscribit *vir inluster Radoberto Majordomus*: quem tamen nunquam fuisse in rerum natura hariolatur Germonius, atque ideo chartam falsi convictam clamat. Sed ejus sententiam evertit Socius illius praestantissimus Godefridus Henschenius, qui in Exegesi ad tomum tertium Aprilis num. XIV. pag. 6. enumerat Majoresdomus sub Chlodoveo, & Sigeberto, nempe Aegam, Pippinum, Grimoaldum, Erchinoaldum, Rudobertum, sive Radobertum, & Ebroinum. an vero idem Radobertus successerit Erchinoaldo, ut putat Henschenius, non est hujus loci disquirere. Tantum addo, licet ejus mentio nulla apud Fredegarium, Aimoinum, & alios sequioris aevi indiligentes scriptores appareat, non ideo statim ex albo Majorumdomus expungendum

Rado-

Radobertum, quasi suppositicium; immo potius eosdem auctores nostro diplomate emendandos, & supplendos: quot enim Annales, catalogi, & fasti, veterum chartarum & diplomatum suppetiis in dies augeri, & corrigi videmus?

VIII. Pari passu procedit dum collatis verbis autographi Mabilloniani cum iis, quae memorat Anonymus Sandionysianus, alterutrius diversitatem, atque ideo ejusdem autographi falsitatem se deprehendere autumat; quasi nimirum ineptissimus Anonymus praeceptum ipsum, & non potius suismet verbis praecepti sensa non expresserit; & psallentium ordinem in monasterio sancti Martini Turonensis de suo non addiderit, nisi tamen de alio praecepto ab hocce diverso loquutus fuit. Ejusdem farinae sunt, quae notat de *Audoëno*, *Auberto*, *Castaldio*, *aliisque*, *quos Aimoinus*, & *Anonymus praecepto Chlodovei subscripsisse ajunt*, *quorum tamen nomina non reperiuntur* in eadem charta. quippe praeterquamquod duobus in locis prorsus exesa sunt in autographo nomina episcoporum; sicut in ceteris, sic etiam hic alucinari, & in sicco haerere potuit Anonymus in perlegendis iis subscriptionibus, & alia pro aliis nominibus subrogare.

IX. Sed quantam fidem Anonymus Sandionysianus aeque ac Aimoinus, ejus alioquin exscriptor, mereatur, patet ex eo quod uterque inter se pugnet in subscriptionibus iisdem recensendis: Anonymus

nymus enim Audoënum, Radonem, Palladium, Clarum, Eligium, Sulpicium, Aubertum, Caſtaldium, Etherium, & Landericum nominat. Aimoinus vero Palladium, Clarum, Aubertum, Caſtaldium, & Landericum omittit. Utrius auctoritas praeſtat, Anonymi, an Aimoini, an vero neutrius? Certe in ſubſcriptionibus iſtius diplomatis Audoënus, & Sulpicius deſiderantur: neque per id tempus in Gallia occurrit alius Sulpicius ab ejus nominis epiſcopo Bituricenſi, qui diu ante conditum hoc praeceptum, anno ſcilicet DCXLI. abdicavit epiſcopatum, ex Cointio ibidem num. V. atque eidem diplomati ſubſcripſit Sulpicii ſucceſſor Wlfoleudus. Ex his quisque pro arbitratu ſuo dijudicet quam recte miretur Germonius *quonam ſingulari fortunae beneficio potuerit tandem* autographum Chlodoveanum hac noſtra aetate per Mabillonium reperiri, quod *ante octingentos annos* periiſſe contendit.

CAPUT III.

Praeceptum Chlodovei II. & Nantechildis ejus matris cur falſitatis inſimulatum. Olim ſubſcribentium nomina aliena manu adnotata. Viri nobiles, & principes ſcribendi imperiti. In diplomatibus ſubſcriptionem ſuam cruce, vel alio ſigno indicabant.

I. Exacta cenſura in diploma Chlodovei II. pro monaſterio Sandionyſiano, ad aliud ejusdem Regis privilegium, ſeu potius praeceptum exagitandum Germonius animum advertit. Illud ex autographo ſemilacero vulgavit Mabillonius in libro quincto pag. 377. ſcriptumque eſt vivente Nantechilde ejusdem Chlodovei matre, pro donatione villae Cotiraci confirmanda. Obſervatione peculiari digna eſt praecepti clauſula, ubi Rex ita loquitur: *Et quia propriam ſubſcriptionem inſerere non potuimus, tamen nos & praecelſa genetrex noſtra domna Nantechildis* &c. Hanc chartam ideo in falſitatis ſuſpicione Cenſori ponere libuit, quia juxta ac ſuperior, ſcripta eſt in papyro; & quia indicta eſt Doubleto & Anonymo Sandionyſiano:

nysiano: quam cantiunculam semel atque iterum recantatam jam supra abunde refutavimus. Sed majoris momenti ipsi est quod in clausula memorata Chlodoveus ac Nantechildes, tanquam scribendi imperiti, aliena manu subsignentur: quod a vero abludere contendit, & licet verum fuisset, id publicitus in diplomate nunquam debuisse enunciari.

II. Quod uterque ante obitum Dagoberti propria manu nomen suum scribere sciverit, se colligere putat ex praecepto, alicubi tamen depravato, ejusdem Chlodovei II. pro monasterio Fossatensi apud Cointium anno DCXXXVIII. num. CXXIV. quod etiam prostrat apud Duboisium in historia ecclesiae Parisiensis pag. 173. in cujus fine haec habentur: *Ut autem baec praeceptio nostrae concessionis firmior habeatur vel per futura tempora Deo propitio inviolabilis conservetur, nos & praecelsa genetrix nostra Nandechildis manuum nostrarum signaculis adumbravimus*. Ad idem firmandum suppetias quaerit a deliciis suis, Anonymo Sandionysiano, apud quem capite quadragesimo tertio Chlodoveus II. Dagoberto aegrotante, *praeceptum, secundum jussionem patris, offerente Dadone Referendario, subscripsit*. Eundem etiam testamento Dagoberti subscripsisse testatur Aimoinus in libro quarto capite duodequadragesimo.

III. Antequam haec omnia ad infirmandum diploma Chlodoveanum fluxa & levissima esse digito

ostendo, memoria repetendum est, ex subscribentibus multos fuisse, quorum nomina non propria manu, sed aliena, seu notarii, chartis adposita fuerunt; quia olim, ut etiam hodie, consuetudo viguit, quum viri nobiles non raro scribendi peritiam vitio sibi ducerent: a quo errore viros primorum principes etiam occupatos reperimus: quorum agmen ducit Imperator Justinus senior, qui auctore Procopio in historia Arcana capite sexto, quum esset analphabetus, nec nominis sui characteres more imperatorio libellis adscribere posset, tabella lignea perpolita utebatur, formam incisam quatuor literarum continente, quae latine legi possent: eaque libello imposita, calamus atramento imbutus principis manui tradebatur, quam alii prehensantes, & per illas quatuor literarum formas circumagentes ducebant. Eodem modo usum Theodericum Ostrogothorum Regem tradit auctor incertus ab Henrico Valesio vulgatus ad calcem Ammiani Marcellini pag. 669. editionis posterioris anni MDCLXXXI. *Laminam*, inquit, ***auream jussit interrasilem fieri***, ***quatuor*** *literas Regis habentem*, *unde*, *ut si subscribere voluisset*, *posita lamina super chartam*, ***per id*** *subscriptio ejus tantum videretur*. Non absimili pacto, sed ex necessitate, non ita pridem subscribentem observavimus senio confectum Alderanum Cybum Cardinalem, sacri Collegii Decanum.

IV. Morem tamen ab hoc diversum usurpavit

pavit Withredus Cantiae Rex, qui labente ſaeculo ſeptimo imperitiam ſuam fateri non erubuit ſubſcribendo in hunc modum chartae pro libertate eccleſiarum apud Henricum Spelmannum in Conciliis Britanniae tomo primo pag. 198. *Ego Withredus Rex Cantiae omnia ſupraſcripta confirmavi, atque a me dictata propria manu ſignum ſanctae crucis pro ignorantia literarum expreſſi*. Idem repetit pag. 193. in charta pro Eabba abbatiſſa: *Poſui propria manu pro ignorantia literarum ſignum ſanctae crucis in hac cartula expreſſae*. Idem ſervatum legimus a Taſſilone Duce Bavariae, qui in diplomate pro Attone abbate ſancti Petri, vulgato per Chriſtophorum Gewoldum in Notis ad metropolim Salisburgenſem Wigulei Hundii tomo primo pag. 125. ita ſuam ignorantiam palam fatetur: *Quod manu propria, ut potui, caracteres chirographi inchoando depinxi coram judicibus atque optimatibus meis*: in fine vero diplomatis, ✠ *ſignum manus meae propriae Taſſilonis*. Sic etiam Heribaldus Comes ſacri Palatii ſubſcribit placito pro monaſterio Caſaurienſi ſub Ludovico II. apud Mabillonium libro ſexto pag. 544. ✠ *ſignum Heribaldi Comitis ſacri Palatii, qui ibi fui & propter ignorantiam literarum ſignum ſanctae crucis feci*. Alia hujusmodi exempla congerit idem Mabillonius libro ſecundo capite viceſimo ſecundo, ubi oſtendit etiam homines in ſacros ordines cooptatos in tam ſupi-

ſupinam inſcitiam incidiſſe, ut nomen ſuum pingere ignorarent.

V. Ex his nemo non videt, ſubſcriptiones Chlodovei & Nantechildis in eundem cenſum mittendas, utpote quae *ſigno* aliquo, non vero ipſis apicibus expreſſae erant in privilegio Foſſatenſi, ut luculenter oſtendunt verba illa: *Manuum noſtrarum ſignaculis adumbravimus*. Ne vero Tranſalpinorum exemplis duntaxat rem agere videamur, eſt par maxime, ut Italorum etiam Procerum inſcitia in apertum prolata, ſeveritatem critices Germonianae avertere ſtudeamus; utque verba in pauca conferam; Guido Guerra I. hujus nominis ex inclyta ſtirpe Comitum de Guidis, quae olim inter Italiae clariſſimas & potentiſſimas floruit in Etruria, in quodam donationis privilegio feminarum maximae & celeberrimae Comitiſſae Matildis, anno tertio & centeſimo ſupra milleſimum exarato, cruce intermedia ſic per manum notarii ſe ſubſcribit: *Signum manus praedicti Guidonis Comitis, qui hanc cartulam, ſicut ſuperius legitur, fieri rogavit, quia ſcribere neſciebat*. Hanc ſubſcriptionem ex ipſo diplomate adduxit Scipio Ammiratus ſenior pag. 3. Hiſtoriae Comitum de Guidis, auctae a Scipione Ammirato juniore, ſeu verius a Chriſtophoro Blanco de Montajone, quem idem Scipio ſenior in ſuam gentem cooptatum anno MDC. die triceſima Junii fatis concedens, heredem reliquit ex aſſe. Diploma vero

vero integrum vulgavit Benedictus Bacchinus, non ſolum Ordinis ſui Caſinenſis, ſed & Italiae ornamentum inſigne, ad calcem Hiſtoriae monaſterii de Padolirone pag. 75. Idem porro Scipio ſenior miratur quamobrem ſuam ſcribendi imperitiam ultro fateri voluerit Guido Guerra, qui tamen in alio diplomate ejusdem Comitiſſae Matildis anni centeſimi ſupra milleſimum per Bacchinum poſtea item vulgato, ſe prius hoc modo ſubſcripſerat: *Ego Guido ſupraſcripti Guidonis filius*. Sed mirari utique deſiiſſet, ſi eandem ſubſcriptionem cruce ✠ indicari animadvertiſſet; quam nempe efformaverat ipſe Guido, ejus vero nomen notarius. Hoc amplius firmatur alio diplomate Comitiſſae Matildis apud Bacchinum pag. 71. cui Guido his verbis ſubſcribit: *Signum crucis Wido Comes manu ſua feci & firmavi* †.

VI. Quotieſcunque ergo ejusmodi crux, vel alia notula cum adpoſito vocabulo *ſignum*, occurrit in veterum inſtrumentorum ſubſcriptionibus inter alios ſubſcribentes, quorum aliqui ſua manu ſubſcribunt, addito verbo *ſubſcripſi*, vel literis *ſſ.* alii vero crucem vel aliud ſignum adponentes ſe interfuiſſe teſtantur (perſaepe autem iſtud occurrit) tunc ſcribendi imperitia in ſubſcribente ſignificatur; & tunc nomen ejusdem ſubſcribentis ſeu teſtis a notario expreſſum eſt: niſi dicere velimus id laboris in notarium de induſtria rejectum, ut conjicit

cit Mabillonius in libro altero capite viceſimo ſecundo num. v. quod tamen de omnibus difficile eſt creditu, quia interdum in uno eodemque inſtrumento aliqui ſubſcripti leguntur cum cruce & adpoſito vocabulo *ſignum*; aliqui vero ſine cruce & vocabulo, ut in charta Chrotildis matronae, quae nobis ſequenti capite memorabitur; atque alibi paſſim praecipue vero in chartis quas vulgarunt Margarinus, Bacchinus, & Franciſcus Maria Florentinius ad calcem vitae Comitiſſae Mathildis. Nos olim in plurimis chartis eccleſiae Civitatis Forojulienſis non ſemper crucem, ſed aliud ſignum adpoſitum vidimus, verbi gratia ſic in Notitia cujusdam Petri ſacerdotis anni duodecimi & centeſimi ſupra milleſimum. *Signum* *manus Petri presbyteri qui hanc cartulam ordinationis ſcribere rogavit ut ſupra*. In alia vero *ſignum* *manuum Toringi Vicecomitis, & Regenardi filii ejus & Fridrici de Lezo, & Johannis filii Azonis, & Alberici, & Odolrici filii Rantiberi, & Johannis de Grandegno, & Redini, & Ugonis, & Arponis, & Artuici, & Otonis teſtium & wiſot*, (ideſt qui rem actam viderunt). *Ego Arpo notarius ſcriptor hujus cartulae ordinationis*. Porro *Toringus* ille & *Regenardus*, officio & dignitate, non cognomento Vicecomites, ſunt ex majoribus triplicis apud noſtrates nobiliſſimae ſtirpis Dominorum de Colloreto, Melſo, & Prodolono, domi, foris-

forisque illustrium, unde claram originem ducit Leander de Colloreto Cardinalis amplissimus, avorum quidem titulis inclytus, sed magis pietate & virtute sua, de qua quicquid dixerim minus erit: atque eadem nomina ad nepotes etiam transierunt, licet paullum immutata, *Doringus* nempe & *Reginaldus* pro *Toringus*, & *Regenardus*. In alia itidem charta anni sexti & centesimi supra millesimum sic legitur: *Signum* ǂǂǂǂǂǂ *Bertoldi episcopi qui banc cartulam donationis scribere rogavit. Signum* ǂǂǂǂǂǂ *manuum Ermanni de Menzano & Noponis Vicecomitis, & Toringi Vicecomitis, & Fedrici Legisperiti* &c.

VII. Ex his postremis colligi posse videtur, scribendi imperitiam non omnino supinam legendi ignorantiam semper indicasse, quum episcopum & legisperitum proprio signo, & notarii manu notatos videamus. Certe Paullinum Zurensem episcopum nomen suum scribere nesciisse patet ex collatione Catholicorum cum Donatistis capite cxxxiii. ubi pro eo *literas nesciente* Quinctus subscripsisse traditur; & in Ravennate charta plenariae securitatis legitur: *Signum isti Gratiani V. S. subdiaconi litteras nescientem, & alia manu sit ...... scripto.* Alia episcoporum scribere nescientium exempla recitat Mabillonius libro secundo capite vicesimo altero pag. 164. ubi ex subscriptionibus aliena manu efformatis, & ex signis loco propriae subscri-

ptionis invectis, originem monogrammatum derivat. Nemo ſane mirabitur, viros in dignitate conſtitutos nomen ſuum ſcribere neſciiſſe, ſi animum adverterit ad Carolum Magnum, quem, licet ſuo tempore eruditorum principem, ſcribendi quoque imperitum fuiſſe tradit in ejus vita Eginhardus apud Ducheſnium tomo altero pagina 102. *Tentabat*, inquit, *& ſcribere, tabulasque & codicillos ad boc in lectulo ſub cervicalibus circumferre ſolebat, ut cum vacuum tempus eſſet, manum effigiandis literis aſſueſaceret. Sed parum proſpere ſucceſſit labor praepoſterus, ac ſero incboatus.* Tot igitur chartae antiquitatis teſtes fidiſſimae ſecum invicem collatae aperte nos docent, a recto deflectere Germonium exſibilantem diploma Chlodoveanum hac una de cauſſa, quod Rex & Regina in eodem fateantur ſe ſcribere neſcire; quaſi nimirum ex eo quod uni aut alteri diplomati crucem vel aliud ſignum adpoſuerint, ſcribere ſciverint; & Reges atque Magnates ignorantiam ſuam notarii ſcripto publicam facere tunc dedecuerit, quum eadem ignorantia nulli probro aut vitio vertebatur, quemadmodum allatis exemplis aperuimus.

CA-

CAPUT IV.

Placitum Chlodovei II. pro Laudesio filio Erchinoaldi Majorisdomus. Idem Erchinoaldus fuit Majordomus in Neustria, in Burgundia, & deinde in Francia universa.

I. FRagmento placiti ab eodem Chlodoveo II. concessi ad dirimendam litem inter Audoënum Rotomagensem episcopum, & Laudesium filium Erchinoaldi Majorisdomus, quod placitum Mabillonius expressit libro quincto pagina 377. censor subinde ipse litem intendit, caussa tam frivola innixus, ut ne memoranda quidem esset, nisi jam usque ab initio hujusmodi rebus immorari coeptum fuisset. In eadem charta sic dicitur de portione cujusdam villae: *De ipsa villa quod a .... erat hoc Erchenoaldo quondam Majoremdomus contulerat*, totusque in eo est Germonius, ut ostendat, si superis placet, Chlodoveum II. his verbis declarare voluisse, quod Erchinoaldus, non jam amplius tunc quum scriptum est praeceptum, sed *quondam*, & tempore jandudum elapso potitus

fuerit dignitate Praefecti Palatio, seu Majorisdomus: quam quum nonnisi morte sublatus dimiserit, & post ipsum Chlodoveum jam fato functum, diem obierit; hinc Germonius opponit, a Chlodoveo signari non potuisse praeceptum, in quo olim, ut ipse putat, e vivis ereptus traditur Erchinoaldus: quod ut contigisse ostendat post obitum Chlodovei, in coacervandis veterum testimoniis illud idem probantibus multum se torquet.

II. Sed tot Herculeis laboribus susque deque habitis, scimus Erchinoaldum Majoremdomus in Neustria post Aegam sive Aeganum ad id muneris evectum fuisse anno tertio Chlodovei junioris, nempe Christi DCXL. ut ex Fredegario notat Cointius ibidem num. III. Scimus etiam Erchinoaldum mortalitatem exuisse post obitum ejusdem Chlodovei, hoc est anno quarto Chlotarii III. sive Christi DCLIX. ex eodem Cointio num. XI. Neque tamen ideo chartam hanc falsam & commenticiam esse putamus; quippe Chlodoveus in eadem charta non dicit, Erchinoaldum fuisse *quondam* Majoremdomus; sed portionem villae *quondam* collatam Erchinoaldo Majoridomus. quid enim mirum particulam *quondam* a barbaro scriba in ipso praecepto, eo quo non oportebat, translatam? Sed etiansi eadem particula ad Majoratumdomus, non vero ad collationem villae referenda esset, nihil omnino Germonius evinceret; nam Erchinoaldus non semel dunta-

duntaxat fuit Majordomus; sed semel, iterum, atque etiam tertium. Primo enim fuit Majordomus in sola Neustria: deinde paullo post, defuncto Flacoato, fuit Majordomus etiam in Burgundia: mortuo demum Rege Sigeberto, conjectoque in vincula Grimoaldo, idem Erchinoaldus per Austriam quoque fuit Praefectus Palatio, gessitque Majoratumdomus in Francia universa: quod ante acciderat nemini, ut animadvertit accuratissimus Cointius sub anno DCLIX. num. XII. Quare Chlodoveus II. si Erchinoaldum *quondam* Majoremdomus appellavit, non mortuum, sed vivum jure ita appellare potuit; nempe *quondam* Majoremdomus in Neustria; vel *quondam* Majoremdomus in Neustria simul & in Burgundia; & tunc demum quum diploma conscribebatur, Majoremdomus in Francia universa.

CAPUT V.

Inſtrumentum Chrotildis matronae quando exaratum. Ex Cycli Victoriani periodo, Chlodovei II. & Chlotarii III. epocha eductа. Antonii Pagii ſententia timide excepta.

I. TABULA undevicesima libri quincti de re Diplomatica ſpecimen exhibet inſtrumenti Chrotildis matronae praenobilis integre editi in libro ſexto num. VIII. quod ideo potiſſimum inter chartas regias referre Mabillonio viſum eſt, quia inſignem epocham continet Chlotarii III. Regis Francorum. Porro in ipſo inſtrumento decernitur de conſtruendo monaſterio apud Brogarias in pago Stampenſi intra paroeciam Luteciae Pariſiorum. Incredibile vero eſt quantam in chronologia Francica peritiam hic jactet Germonius ad evertendam ejusdem chartae auctoritatem: quae data dicitur die decima Martii anno XVI. Regni Chlotarii, nempe anno Chriſti DCLXX. ex Mabillonii ſententia. fretus enim cenſor teſtimonio Fredegarii, aliorumque, non annos *ſexdecim*, ſed *quatuor* duntaxat Chlo-

Chlotarium regnasse, adeoque pucrili aetate decessisse contendit; aliis, quos ipse non dissimulat, aliter atque aliter sentientibus, licet ex his nemo diserte affirmet Chlotarium regnasse annos *sexdecim*: & jure, ut quidem Germonius putat, idque duabus ex caussis: primo quia Chlotarius III. solium non inscendit ante annum DCLX. inscendisse autem videtur anno DCLXII. Secundo quia non vixit ultra annum DCLXX. & quia videtur rebus humanis valedixisse anno DCLXVI. ex quibus Disceptator concludit Chlotarium reapse *decimumsextum* annum non attigisse. Omnium summa haec est. annum tertium Chlodovei II. concurrere cum anno Christi DCXLVI. & annum itidem tertium Chilperici II. incidere in annum Christi DCCXVII. inter utrunque autem annos LXXII. praeterlabi, ex quibus si detrahantur illi, qui ceteris Regibus sunt adsignandi, nempe LXI. aut LXVII. secundum alios; anni sexdecim Chlotario tribuendi superesse neutiquam poterunt; unde falsa erit charta Chrotildis, quae data perhibetur anno Chlotarii XVI.

II. Profecto si hujusmodi calculis innixa staret res chronologica Regum Francorum, actum esset de generosis Merovei nepotibus, quos nulla ope suffultos, mixtim omnes confundi & ruere oporteret. Sed praesto est diligentissimus Mabillonius, suarum observationum fundamenta altius deducens, itaut nutare difficile admodum deprehendantur. Vidit quidem ille, ut innuit in notis ad tabulam undevicesimam,

ſimam, (& quidni vidiſſet rem nemini ex eruditis ignotam?) vidit inquam, auctores illos, qui Chlotario III. annos quatuor duntaxat tribuebant: vidit etiam recentiorum ſententiam quatuordecim annos reſtituentium. At nihilominus iisdem antiſtare exiſtimavit iſtius inſtrumenti auctoritatem, cui ſuffragari vidit Herimbertum Diaconum in vita diſcipuli ſui ſancti Vincentiani ex codice Mimatenſi expreſſa a Cointio ſub anno DCLXVII. num. XXXVII. ubi ejus eccleſiae dedicatio per Ruſticum Arvernenſem epiſcopum facta perhibetur *poſt obitum viri Dei Vincentiani octo menſibus jam tranſactis*, XV. *ſcilicet kal. Septemb. ſub Rege Chlothario* XV. *anno*: ad quae Cointius num. XLVI. pro anno XV. perperam ſubſtituendum putat XIII. quae ejus emendatio exploditur epocha ejusdem inſtrumenti Chrotildis.

III. Hinc Mabillonius Chlodovei II. obitum repoſuit anno ineunte DCLVI. itaut annus ſextusdecimus Chlotariii III. ejus filii protendendus ſit ad annum DCLXX. quam poſtea opinionem ope antiqui codicis Foſſatenſis ad accuratius examen revocatam paullum correxit in docta admodum Diſſertatione de anno mortis Dagoberti I. & Chlodovei II. quam altero anno ab edita re Diplomatica vulgavit in Analectorum volumine tertio pag. 514. Quippe viro eximio eundem codicem ab octingentis annis conſcriptum verſanti occurrit inſcriptio praefixa vitae beati Johannis abbatis Reomaënſis a Jona diſcipulo ſancti

ſancti Columbani, quam hic cum ſuis naevis nobis etiam lubet repraeſentare: *Anno centeſimo poſt explicationem numeri ſancti Victori epiſcopi ciclum recapitulantem, anno tertio domni Clotharii Regis indolis, ex juſſo ipſius Principes vel genetricae ſuae praecelſae domnae Balthildae Reginae, cum ad urbem Cabalonnenſem noni menſis ſecunda ebdomada Jonas abbas per Riomao ſancti Johannis monaſterio praeteriens, paucis diebus inibi pro labore itineris quievit. Cumque victus precibus fratrum ipſius coenubii, ut qui per diſcipulus memorati confeſſoris Chriſti, vel poſteris eorum veraciter comperta erant de actuale vita hac ſpiritale converſatione, articulo dicendi convertit praedictus Jonas Hunnanae abbati inquit.*

IV. Hanc inſcriptionem pridem ediderat Johannes Bollandus in tomo primo Januarii, tum ipſemet Mabillonius in Saeculo primo Benedictino, aliique: ſed prioribus verbis, quae Chlodovei II. epocham plane conſtituunt, omnino detractis. Ut vero quoto anno vulgari annus tertius Chlotarii III. conveniat, in quem incidit annus centeſimus periodi Cycli paſchalis Victorii Aquitanici; quaerendum eſt quoto Chriſti anno incipiat idem Cyclus, quo Jonas in inſcriptione uſus eſt; in quem deſinat, quotque annis conſtet: tum a quo anno exordium ducat ejusdem Cycli *recapitulatio*, ſeu periodus ſecunda. Cyclum illum conſtantem annis DXXXII. a paſſione

Domini deductis edolavit Victorius hortante Hilaro ecclesiae Romanae archidiacono, ediditque Constantino & Rufo Coss. nempe anno vulgari CCCCLVII. quo sui Cycli annum CCCCXXX. numeravit: ex quo patet, eundem Cyclum exordium suum auspicari ab anno vulgari XXVIII. quem quidem ipse passione Domini & Geminorum Consulatu insignem existimavit; licet res aliter se haberet. Quare Victorii Canon paschalis ab anno vulgari XXVIII. incipiens constat annis DXXXII. quibus addendi sunt anni XXVII. ut Cyclus ad vulgarem calculum nostrum revocetur, quemadmodum notat Petrus Franciscus Chiffletius in Dissertatione de annis Dagoberti capite quincto; ideoque prima Cycli Victoriani periodus clauditur anno vulgari DLIX. ex quo manifestum est annum ab ejusdem Cycli *recapitulatione* centesimum incidere in annum vulgarem DCLIX. qui quidem annus ex Jona tertius erat Chlotarii III. Regis Francorum.

V. Haec computatio certissima esse perspicitur ex Aegidio Bucherio, qui tabulas Victorianas insigni commentario illustravit, ubi pagina 24. occurrit annus vulgaris DCLIX. & e regione paginae aversae annus centesimus secundae periodi Victorianae: unde consequens est, Chlotarium III. Chlodoveo II. patri suo successisse anno vulgari DCLVI. non vero DCLV. ut Mabillonius pridem opinabatur in re Diplomatica: neque anno DCLX. ut aliis visum est: ac proinde eo anno Chlodoveus e vivis excedens Chlotario

tario filio locum dedit. Nihil ſane firmius & luculentius afferri poteſt ad demonſtrandam epocham utriusque Regis, quum hoc teſtimonium profectum ſit a Jona homine aequali, docto, & teſte oculato; qui quidem juſſu ejusdem Chlotarii, ſeu potius matris ejus Balthildis (nam Chlotarius adhuc tenellus erat) miſſus fuit Cabilonem, ut in monaſterio ſancti Marcelli regularem diſciplinam reſtitueret, quemadmodum videtur Mabillonio. Hinc apparet quam peregre Germonius abjerit, qui anno tantum DCLXII. Chlotarium regnare coepiſſe affirmavit; & quanto gravius argui mereatur quod ab hujusmodi erronea opinione ſibi non caverit, a qua eum ſibi cavere facillimum erat revoluendo Analecta illius praeſtantiſſimi Auctoris, cujus ſcripta ſibi exagitanda ſuſcepit.

VI. Quare Chlotarius III. regni initium auſpicatus eſt anno Dionyſiano DCLVI. ut patet ex Jona ſcriptore coaevo; & adhuc regnabat anno decimo quincto, nempe Dionyſiano DCLXX. ex auctore vitae ſancti Vincentiani: immo & anno decimo ſexto ſive DCLXXI. ex charta Chrotildis matronae: quanvis Chronologorum noſtri aevi clariſſimus Antonius Pagius in epiſtola Gallica ad Claudium Nicaſium octo ab hinc annis vulgata, ſcriptum reliquerit, Chlotarium III. non fuiſſe vere Monarcham ante annum DCLX. & diem extremum objiſſe anno DCLXX. Hocque ſpondet ſibi probatum iri in ceteris tomis Criticae Baronianae: quos, ipſo deinde immaturo admodum

fato, si vota literatorum spectemus, praerepto, hactenus comparere non vidimus; sed modo tandem typographicis formis consignari intelleximus. Mirari sane aequum nobis videtur quî Chlotarius III. non fuerit Monarcha ante annum DCLX. quum Pagius fateatur, ejus parentem Chlodoveum II. decessisse anno DCLVI. & quî jure affirmare possit, postremam notam numericam chartae Chrotildis prae nimia vetustate esse nonnihil exesam: idque Mabillonium in his rebus longe oculatissimum praeteriisse.

VII. Certe Mabillonius nuperrime in Annalibus Benedictinis libro sextodecimo num. III. sub anno DCLX. iterum Chrotildis instrumentum expressit cum eadem illa priori epocha atque pridem fecerat; unde patet illum nihili fecisse Pagii sententiam. Tantum ait, si calculus ab Herimberto in vita sancti Vincentiani exhibitus componatur cum illo, quem praefert instrumentum Chrotildis, dicendum forte Chlotarium, vivente patre, designatum fuisse Regem; aut eam diversitatem rejiciendam in annos cavos: idque eam ob caussam, quia initio ejusdem libri Chlotarium imperasse tradidit quatuordecim annos, nempe ab anno vulgari DCLVI. ad annum usque DCLXX. quippe Wandregisilus abbas Fontanellensis Balthildi Chlotarii matri trium ejus filiorum successiones & obitus praedixisse memoratur ab auctore Anonymo apud Surium die XXII. Julii capite XIV. & XXI. e quibus Chlotarium III. qui natu major erat

rexisse

rexisse populum occidentalium Francorum annis quatuordecim, affirmatur: ubi perperam Surius in margine innuit legendum esse *quatuor*, non autem *quatuordecim*.

VIII. Ex hoc patet, longe falli eos, qui Chlotarium annis duntaxat quatuor regnavisse putant, in errorem abducti a mendosissimo libro de Gestis Regum Francorum, qui fucum fecit etiam Germonio: quem gloriosus triumphus de Chlotariana epocha adversus chartam Chrotildis felicissime, ut ipse putavit, a se relatus, eo transtulit, ut non solum chartam ipsam omnino falsam a se ostensam proclamare; sed & longam cum gravissimo Mabillonio expostulationem instaurare non dubitaverit; quasi multiplicibus falsariorum fraudibus, nempe diplomatibus Merovingicis & Carolinis, nullo a se *argumento expurgatis*, *nec fortasse expurgandis*, *adversus Historicorum fidem plus aequo favere videatur*. At nos haec & alia malumus silentio praeterire.

CA-

CAPUT VI.

Latiniacum a Theoderico III. Sandionysianis diplomate regio concessum. Quaedam in eo vindicata. Berthiarius Majordomus occubuit post praelium Textricianum.

I. QUod bonus quandoque Homerus dormitaret, res quidem aequo animo ferenda, visa est lyricorum principi, qui opere in longo putavit fas esse obrepere somnum: sed ab ovo usque ad mala semper eadem chorda oberrari, & culpam eandem iterum atque iterum committi ab eo, qui somnum non vidit, ut ultro citroque carpendi & arguendi occasionem effoderet; hoc nullo pacto ferendum videtur. Quare si creberrimos Censoris lapsus ad suprema Reipublicae literariae subsellia, veluti caussam centumviralem deferimus, nihil a nobis fieri putamus, quod in jure fieri non possit. Inter characteres Meroveadarum Mabillonius libro quincto pag. 379. laciniam exhibuit diplomatis integre postea libro sexto pag. 471. vulgati, quo Theodericus III. Chlodovei II. & Balthildis filius Lati-

Latiniacum villam in agro Meldensi, olim ab Ebroino, Warattone, & Ghislemaro Majoribusdomus usurpatam; & deinde ad fiscum regium devolutam, rogatu Chrodechildis Reginae, & Bercharii Majorisdomus monasterio Sandionysiano largitus est tertio kalendas Novembres anno Regni sui XVI. qui est Dionysianus DCXC. Hoc diploma non una ex caussa impetit Censor. Primo quia Latiniacum non a Theoderico, sed a Dagoberto ejus avo fuit basilicae Sandionysianae concessum anno Regni ejus XIV. & quia eadem villa non ab Ebroino, Warattone & Ghislemaro; sed a Bobone Duce, atque a Tacilone Comite Palatii olim possessa fuerat: quam postea, commutatione alterius villae, ab iisdem magnatibus Rex Dagobertus acceperat, quemadmodum tradit Anonymus Sandionysianus in libro toties memorato de Gestis Dagoberti capite tricesimo septimo.

II. Verum si Germonius praesenti animo volutasset Diplomaticum opus, quod tam severe proscindit, hanc suam objectionem in antecessum a Mabillonio rejectam utique reperisset in libro quarto capite septuagesimo quincto pag. 291. ubi vir acerrimi judicii postquam duplex Latiniacum fuisse ostendisset, alterum in agro Meldensi, alterum ad Matronam fluvium, ista subjungit: *Jam vero quod a Dagoberto & Nantbilde, atque Theuderico eorum nepote datum Latiniacum vidimus, ita debet accipi, ut vel Dagobertus, atque Nantbildis villae partem*

partem duntaxat aliquam; Theudericus vero integram, & (ut ipse loquitur) omnia ex omnibus in ea contenta tradiderit: vel certe quod tradita prius a Dagoberto, ejusque uxore, occupata fuerint a praedictis Majoribusdomus, qui eam regio nomine suis usibus addicebant. quod Verno palatio contigisse dicemus inferius. Nisi si valere hic quoque debet quod alias saepe observatum, nempe Francorum Reges cum vel ablata restituerent, vel donationes ab anterioribus Regibus, aliisque factas roborarent; ea dicere solitos dare se, monasteria dotare, aliaque praestare beneficia, quae jam olim praestita ab aliis ipsi nova lege firmabant; aut pristinum in statum restituebant. Ergo & a Dagoberto, & a Theoderico, salva & necquicquam temerata integritate diplomatis nostri, potuit Latiniacum monasterio Sandionysiano donari, sicut non solum Dagobertus adhuc vivens, sed eo mortuo Nantechildis ejus uxor eidem basilicae Latiniacum adsignavit; nempe ejusdem partem, quam Rex Nantechildi reservaverat, ut notat Mabillonius in Annalibus Benedictinis libro decimo tertio, num. VIII. Partes autem Latiniacii praedii accurate enumerantur in hoc nostro diplomate.

III. Secundo auctoritatem Theodericiani instrumenti ideo nutare putat Germonius, quod in eo Rex de se ita scribat: *Dum & nobis divena pietas ad legitema aetate fecit perveniri, & in solium rigni*

rigni parentum nostrorum succidere oportit nobis & condecit pro salute animae nostrae cogitare debiamus: quae verba adolescentem ex aliena tutela vix egressum, & recens ad solium evectum sapere Censor opponit; non virum quadragenarium, a sexdecim annis sceptro potitum: quo tempore *primum eum cogitasse de gratiis divino numini habendis, quod a tutoribus liber & sui juris factus ad legitimam aetatem* pervenisset, incredibile omnino videri, semel atque iterum regerit Censor.

IV. Sed cui, nisi uni subtilissimi ingenii scriptori Germonio isthaec in mentem veniant? & quidni potius ea omnia ad tempus elapsum referuntur; eaque tunc, data occasione loca pia largitionibus augendi ob beneficia a Deo accepta, iterum a Theoderico memorantur, ut potissimum fieri etiam consuevit in diplomatibus regiis & Imperatoriis in favorem ecclesiarum concessis; quum una eademque formula ad plura diplomata per notarios esset accommodata; unde formula hujusce diplomatis Theodericiani potuit esse conscripta ubi primum ille Monarchia Francorum potitus est, & identidem quotiescunque necessitas recurreret, pro diplomatum cotidiano exemplo adhiberi. Praeterea Theodericus annum agens decimum septimum Chlotario fratri successit anno DCLXXIX. ex Cointio ibidem num. IX. Pulsus deinde a Childerico fratre iterum regnare coepit anno DCLXXIII. Victo tandem Dagoberto

Austrasiae Rege, idem Theodericus fit Monarcha Francorum anno DCLXXX. quo anno duodetricesimum aetatis annum agebat; unde tunc vere is potuit dici *ad legitimam aetatem pervenisse, & in solium Regni parentum suorum successisse*. Atque ejusdem diplomatis formula spatio undecim sequentium annorum a notariis in diplomatibus regio nomine inscriptis potuit subinde usurpari.

V. Tertius aries, quo petitur diploma Theoderici, verbis illis innititur, ubi Rex precibus uxoris suae Chrodochildis sive Chlotildis ait, se excitatum fuisse ad donandum Latiniacum coenobio Sandionysiano: *Nos*, inquit, *ad suggestione praecelsae Reginae nostrae Chrodochilde* &c. qui loquendi modus, ut Rex conjugem suam vocet *Reginam nostram*, neutiquam arridet Germonio. quippe in sinistrum sensum omnia detorquens, vult τό *Reginam nostram* ibidem accipi pro *Domina nostra*: qui sermo utique absurdus fuisset in Rege Francorum. At ipsa verba satis explanant, Regem loqui de uxore sua, eamque benevolentiae, non subjectionis caussa *Reginam nostram* appellare. Atque haec fuit phrasis illius aevi, ut uxores Regum dicerentur illorum *Reginae*. sic enim a Gregorio Turonensi libro nono capite duodequadragesimo Historiae Francorum appellatur *Faileuba Regina Childeberti Regis*. Et Chlodoveus Magnus apud Roriconem monachum in Gestis Regum Francorum collectionis Duchesnianae tomo primo pagina

gina 806. *Reginam* uxorem suam sic appellat: *Jesu bone, quem Chrochildis Regina mea praedicat esse Filium Dei vivi.* Nec solum sexto & septimo saeculo mos hic invaluerat, ut uxores Regum, eorundem Reginae appellarentur; sed etiam undecimo. nam in diplomate nondum typis vulgato Henricus IV. Rex Romanorum ecclesiae Aquilejensi & Sigehardo ejus Patriarchae donat Marchiam Carniolae, idque ait se agere *subveniente dilecta nostra Bertha Regina*, quae tamen erat illius uxor. Diploma datum est Norimbergae anno MLXX.

VI. Quartum falsitatis argumentum deducitur ex proximis verbis ubi Theodericus non modo ad suggestionem Chrodechildis, sed & illustris viri Bercharii Majorisdomus ait se eandem donationem fecisse. At Bercharius sive Bertharius Majordomus, qui ex Germoniana chronologia anno DCLXXXVIII. nempe XIV. Theoderici Regis, occisus est a Pippino, non potuit triennio serius, sive anno Theoderici XVI. qui incidit in annum vulgarem DCXCI. ei suggerere, ut Latiniacum coenobio Sandionysiano concederet. Sic nimirum vel incaute, vel data opera, sane utrunque invita laude, Censor diplomaticus perpetuas fallacias fingere non desinit. Anno quidem DCLXXXVII. commissum est praelium Textricianum inter Quinctinopolim & Peronam, ubi victus est Theodericus III. sed tamen nemo tradit, in hoc praelio cecidisse Bertharium Majoremdomus; immo illum inde

aufugisse, & post aliquod tempus vita sublatum diserte narrat Anonymus Austrasius Fredegarii Continuator inter opera Gregorii Turonensis col. 670. nam capite centesimo haec habet: *Pippinus commoto exercitu hostiliter ab Austria consurgens contra Theodericum Regem, & Bertharium properat ad bellum. Conjuncti in opido Vermanduensi, in loco, qui dicitur Textricio bellum mutuo gesserunt. Praevalente Pippino cum Austrasiis, Theodericus Rex cum Berthario* FUGAM INJIT. *Pippinus victor extitit, persequutusque eam regionem sibi subjugavit.* SEQUENTI TEMPORE *idem Bertharius ab adulatoribus, falsis amicis, interfectus est instigante Ansflede matrona, socru sua.* Nemo ergo non videt, Bertharium non anno DCLXXXVIII. in pugna Textriciana, sed post tertium kalendas Novembres anni DCXCI. a falsis amicis trucidatum occubuisse. Quare nisi Germonius deprompserit *cetera, quae adversus idem Theoderici praeceptum*, ex ejus sententia *adjici possent non pauca*, ab ipso praetermissa, haec, quae adjecit, *ad ejus fidem elevandam satis superque esse*, quis sibi facile persuadebit?

CA-

CAPUT VII.

Alia Theoderici III. & Childeberti III. ejus filii praecepta ad examen vocata, & asserta. Vestis conscissa in exauctoratione episcoporum.

I. UT Germonius celeriori impetu criterii sui fulmina in rem diplomaticam rotet, in capite septimo duplex autographum perstringit, placitum nempe Theoderici III. pro Chramlino Ebredunensi episcopo exauctorato, & praeceptum Childeberti III. Theoderici filii, quo villam Napsiniacum in agro Bituricensi largitur monasterio Sandionysiano. Primi segmentum prostat in rei Diplomaticae libro quincto pag. 381. integrum vero legitur in libro sexto pag. 469. quumque illi manu propria subscripserit Theodericus non secus atque illi, quod in superiori capite vindicavimus, Disceptator utriusque subscriptionis characteribus examinatis, in eorundem ductibus diversitatem, nec quidem modicam, ait se deprehendisse, & praecipue in litera E, quae in utraque subscriptione IN CHRISTI NOMENE THEUDERICUS REX SUBS. quinquies occurrit; nempe in

in praecepto de Latiniaco, ait ſemper eam literam gemino calami ductu delineatam; in altero vero eandem tractu unico ductam videri. Praeterea in altero grandiores tractus eodem ſemper tenore, nec graciliores in parte infima, quam in ſuprema: ex quibus Germonius infert vel utrunque diploma, vel ſaltem alterutrum eſſe falſum: quod tamen quaſi oculis captus non animadvertit Mabillonius, cui propterea, licet vigilantiſſimo & oculatiſſimo viro veluti aegrorum ſomnia affricare non dubitat.

II. In priori ſpecimine ſubſcribit Theodericus modo ſingulari, hoc eſt ſigno crucis & verbis *in Chriſti nomine* praemiſſis: quod Theoderico peculiare fuit; eodemque penitus modo ſubſcribit etiam in ſecundo; atque in utroque una eademque ſymmetria & magnitudine ſinguli characteres ducti ſunt, licet in ſecundo ob nimiam vetuſtatem mutilo, alicubi in extremis partibus, ductuum literae nonnihil appareant, ut oculi non adverſa tuentes inſpicere poterunt. Ceterum inflexio, amplitudo, connexio, & obliquitas prorſus eadem eſt, diverſa tamen a reliquo textu diplomatis per notarium exarato. Porro in hac charta de Chramlini Ebredunenſis epiſcopi dejectione, anno quincto Theoderici Regis, qui eſt vulgaris DCLXXVIII. conſcripta Marlaci in confinio Campaniae & Burgundiae, ſubſcribunt quinque Metropolitae, Geneſius Lugdunenſis, Blidramnus Viennenſis, Landeberchtus Senonenſis, Terniſius Veſon-

Vesontionensis, & Claudunus forte Aquensis: qui episcopatu Chramlinum dejecerant, quia per falsas tabulas, & sine eorundem sollemni consecratione episcopatum receperat. Quare in praesentia Regis *conscissus* fuisse traditur; quippe vestis episcopalis a capite conscindebatur in exauctorandis episcopis, ut Saeculo secundo Benedictino pag. *692*. eruitur ex Anonymo in vita sancti Leodegarii, quo, nequissimis artibus Ebroini Majorisdomus ex Aeduensi episcopatu dejecto, *episcoporum concilium ejus disrupit vestimentum, quatenus ob hoc esset ei interdictum, ut ultra non praesumeret offerre sacrificium*. Eodem pacto Gregorius Turonensis libro quincto capite undevicesimo col. 228. agens de Concilio Parisiaco in caussa Praetextati, quem a sede Rotomagensi deponendum urgebat Theodericus: *His*, inquit, *ita gestis*, *petiit Rex*, *ut aut tunica scinderetur*, *aut centesimus octavus Psalmus*, *qui maledictiones Ischarioticas continet*, *super caput ejus recitaretur*.

III. Eadem dicenda sunt de praecepto Childeberti III. cujus segmentum comparet in libro quincto de re diplomatica pag. 382. quodque integrum exstat in libro sexto pag. 476. huic enim non secus ac praecepto Theoderici III, de Latiniaco, subscribit Wlfolaëcus Referendarius his verbis: *Wlfolaëcus jussus obtolit*. At in utroque chirographo a se propriis & alienis oculis una collato & inspecto,

ſpecto, lineas diſſimili forma exaratas Germonius colligit: ideoque, ſicut in gemino Theoderici chirographo, magnam ſcripturae diſcrepantiam notari contendit. Haec tamen nobis nulla omnino eſt, niſi quod in Childebertino praecepto paullum grandioribus literis, quam in Theodericiano ſubſcriptio exaratur, ceterum iisdem inflexionibus, & compendiis, ita quidem, ut frivolae hac ſuper re Germonii animadverſiones vix attendi mereantur. Notandum eſt de laudato diplomate Childebertino *duas praeceptiones uno tenure conſcriptas*, ut habetur in fine, de quo jam diſſeruimus, capite tertio num. v. libri primi. Libens lubens praetereo monita illa, quibus Cenſor capiti ſeptimo finem imponit, de comparandis nimirum inter ſe diplomatum ſcripturis & chirographis, ab uno eodemque Rege & Referendario ſubſcriptis: in qua diligentia, a ſe nunc primum, ut putat, excogitata, magnum quid Mabillonio collocat ad diſcernendam chartarum genuinam antiquitatem: quaſi vero Mabillonius, qui in hac arte conſenuit, diverſitates & diſſimilitudines characterum in chirographis, quae mediocriter etiam in hoc ſtudio verſatis ſtatim occurrunt, ipſe unus obſervare neglexerit.

CA-

CAPUT VIII.

Droctoveus abbas primus ſancti Vincentii, cui ex intervallo ſucceſſit Autharius. Vitae ejusdem Droctovei auctor Giſlemarus ſaeculi decimi ſcriptor. Aimoinus Floriacenſis male cum Sangermanenſi confuſus. Autharius vixit ſub Theoderico III. & Childeberto ejus filio, non vero ſub Childeberto ſeniore. Baſilica ſancti Vincentii Pariſienſis ſub Dagoberto I. dicta ſancti Germani.

I. VAndemiris inter Francicos dynaſtas opulentiſſimus anno decimo ſeptimo Theoderici III. qui illigatur anno vulgari nonageſimo ſupra ſexcenteſimum, una cum uxore Ercamberta egregium ſane & incomparabile pietatis ſuae monumentum edidit, chartam ſcilicet, qua amplis donationibus plura coenobia & eccleſias in urbe & agro Pariſienſi magnifice auxit. Iſtius chartae autographum temporis injuria mutilum, quum in manus Mabillonii feliciſſime incidiſſet, characterum ſpecimine exhibito in libro quincto pagina 381. integram chartam poſtea recitavit in libro

ſexto pag. 472. inde colligi animadvertens non ſolum quantae fuerint Vandemiris fortunae, & quanta religio, ſed quot monaſteria intus & extra Pariſios: ex quorum tamen uno praecipuam occaſionem arripuit vitilitigator, ut inaeſtimabile antiquitatis ſpolium ne flocci quidem faciendum palam arbitraretur. nam ex his verbis: *Simile modo donamus ad baſilica domne Vincente vel domni Germani ubi venerabilis Audcharius abba praeeſſe viditur* &c. ait patere inſtrumenti falſitatem, quia Audcharius, ſive Autharius abbas non praefuit eo tempore monaſterio ſancti Vincentii, quod poſtea dictum ſancti Germani a Pratis; licet hoc ipſum ex Theoderici III. diplomate etiam oſtenderit Mabillonius in Saeculi tertii Benedictini parte altera pag. 93. ubi ex lectione veterum inſtrumentorum ejusdem monaſterii ſeriem abbatum ſaeculi ſeptimi ordinavit.

II. Et primo quidem baſilicae dedicationem *in bonore vivificae crucis*, *almique Vincentii levitae martyris* kalendis Januariis anni undeſexageſimi ſupra quingenteſimum, qui fuit poſtremus Childeberti Regis Chlodovei Magni filii, factam eruit Mabillonius ex Gislemaro in vita ſancti Droctovei abbatis, qui primus monachis inibi ab exordio collocatis praefuiſſe memoratur: quam quidem ſententiam recentioribus abbatum indicibus, in quibus Autharius Droctoveo anteponitur, praeferendam exiſtimat Mabillonius, quia Uſuardus ejusdem coenobii

nobii asceta saeculo nono Droctoveum abbatem *discipulum sancti Germani* appellans, in sincero Martyrologio in hunc modum inseruit: VI. idus Martii *Parisiis depositio sancti Drochtovei abbatis discipuli sancti Germani episcopi*, quod prostat etiam in meo MS. ubi Usuardus consentit cum Gislemaro, qui primum locum tribuit Droctoveo. dum enim Usuardus vocat Droctoveum *discipulum sancti Germani*, utique illum constituit primum abbatem sancti Vincentii centum annis & quod excurrit ante Autharium. Eidem Gislemaro Fortunatum etiam popularem nostrum suffragari notavit Mabillonius in Annalibus Benedictinis libro quincto num. XLVIII. quippe Fortunatus libro nono carmine undecimo his versibus Droctoveum abbatem laudavit:

Vir venerande, sacer meritis, & honore colende,
Droctovee mihi semper amore pater:
Qui de discipulis Germani jure beati
Norma magisterii factus & ipse sui:
Cujus Pontificis sacra per vestigia currens
Despicis hunc mundum dum cupis ire polo.

Ex his constare puto quam recte Germonius indices scriptos *ante annos quingentos* & cum iis Aimoinum, non quidem illum Sangermanensem, qui floruit saeculo nono; sed alterum Floriacensem saeculi undecimi auctorem, qui scripsit Gesta Francorum, quique Autharium omnium primum Parisiensi sancti Vincentii seu sancti Germani monasterio prae

fuisse tradit, coaevis instrumentis, & Gislemaro monacho Sangermanensi opponere audeat, hunc vocans *Anonymum incerti temporis*, quum tamen ex acrostico carminum, quae praefixit vitae sancti Droctovei in Saeculo primo Benedictino pagina 253. ejus nomen uncialibus literis designatum exsurgat. Atque ex eo quod Droctoveum, non autem Autharium constituit primum abbatem Sangermanensem, patet eundem Gislemarum vixisse ante saeculum undecimum, quo primus abbas Sangermanensis jam Autharius fuisse credebatur. Et quidem scripsit Gislemarus hic senior post annum octogesimum sextum supra octingentesimum, quo anno Luteciae monasterium alterum sancti Germani Autissiodorensis a Danis sive Normannis incensum fuit: cujus cladis meminit idem Gislemarus in praefatione ad vitam sancti Droctovei. Illum ideo *seniorem* appellavimus, ut ab altero Gislemaro distingueremus, qui annis ab hinc circiter quadringentis scripsit libros Retractationum, ex Mabillonio: quorum neutrius mentionem factam reperio ab iis, qui de scriptoribus ecclesiasticis disseruerunt.

III. In luce ergo meridiana coecutit quicunque Aimoinum Floriacensem cum Aimoino Sangermanensi oscitanter confundens, scriptore vitae sancti Droctovei, nempe Gislemaro, cum *longe antiquiorem* appellat; illiusque auctoritatem Gislemaro quasi anonymo & ignoto scriptori anteponit; acsi hic

hic dedita opera originem splendidissimam sui coenobii a sancto Droctoveo potius, quam ab Authario, inter coelites minime recensito, deducere voluisset, ubi, Authario praetermisso, solum Droctovei, tanquam primi ejus loci abbatis meminit: dum e contrario Aimoinus Floriacensis (non Sangermanensis, ut Censor existimat) atque indices exinde consarcinati, Autharium Droctoveo praeferunt; quasi nimirum fons erroris non fuisset Aimoinus. Porro Autharius fuit utique ejusdem coenobii abbas, non sub Childeberto seniore, sed sub principatu Theoderici III. & sub Childeberto III. ejus filio: quod rerum antiquarum minus periti non animadvertentes, ad Childeberti illius senioris tempora eum detruserunt, praeeunte Aimoino Floriacensi. Inter Droctoveum & Autharium septem alios abbates intercessisse notat Duboisius in Historia ecclesiae Parisiensis libro quarto capite septimo num. IX. nempe Scubilionem, Desiderium, Gauscionem, Germanum, Sigonem, Childerannum, & Humfridum.

IV. Sed & alia de caussa Vandemiriani instrumenti auctoritatem se elevaturum putat Germonius, ex iis nempe verbis: *Donamus ad basilica domne Vincente, vel domni Germani*. Nobile illud templum exstruxit Childebertus circa annum quinquagesimum quinctum supra quingentesimum occasione quam refert Mabillonius in Annalibus libro quincto num. XLI. Illud consecravit Germanus Parisiensis

episco-

episcopus, a sancto Vincentio, atque a sancta Cruce ei nomine imposito: quod etiam perpetuo retinuisse contendit Germonius usque ad tempora Pippini Regis, quo regnante corpus sancti Germani in eandem basilicam ex sacello sancti Symphoriani ei proximo & annexo, translatum fuit: ex quo tempore, ut quidem ipse ait, primum appellari coepit *basilica sancti Germani*, quae antea *sancti Vincentii & sanctae Crucis* appellabatur.

V. Sed Disceptator ubique errores erroribus cumulat. Diu ante Pippinum Dado sive Audoënus Dagoberti I. Referendarius, & deinde episcopus Rotomagensis, in vita sancti Eligii libro primo capite vicesimo quincto apud Surium die prima Decembris, eandem basilicam sancti Vincentii & sanctae Crucis, *basilicam sancti Germani Confessoris* vocavit, ubi Eligius claudum ad illius cancellos fusis precibus sanavit erexitque. Nec mirum sane eandem basilicam a sancti Germani nomine sic appellatam, qui Childeberto illius condendae auctor exstiterat; qui eam consecraverat, & bonis auxerat; quique extra eandem in sacello sancti Symphoriani miraculis coruscabat: idque praecipue dum ipsi vix mortuo ecclesia dicata fuerat etiam a Bertichramno Cenomannorum episcopo, ut notavit Mabillonius Annalium libro sexto num. LXIX. & Radegundis Regina in epistola ad episcopos Concilii II. Turonensis eundem Germanum itidem vix mortuum *beatissimi* titu-
lo

lo ornaverat apud Gregorium Turonensem libro nono capite altero & quadragesimo col. 473. qui itidem eundem Germanum passim *sanctum* & *beatum* appellat.

VI. Si ergo caussa haec me ephoro peragatur, diplomatomastix frivolis animadversionibus labefactare conatus est chartae Vandemirianae legitimam antiquitatem, & Childeberti instrumentum monasterio *sancti* seu *domni Germani* concessum apud Mabillonium libro sexto pag. 480. literasque Chulbertae anno quincto Chilperici Regis conscriptas pro monasterio *sanctae Crucis & domni Germani* in Saeculo tertio Benedictino parte altera pagina 94. A ceteris obelo notandis sciens prudens desisto, quum quisque Aethiopem ex vultu facile dijudicet. Tantum addam, ex hactenus dictis apparere quanti ea facienda sint, quibus Vandemiriani, & id genus aliorum diplomatum censuram claudit: *Uno verbo*, inquit, *falsa sunt omnia diplomata, quae cum sub Merovingis Regibus data dicantur, basilicam tamen sanctae Crucis, & sancti Vincentii vocant basilicam sancti Germani*. Quod mox subjungit, saeculo nono, bibliotheca Sangermanensi a Normannis absumpta, nequivisse incolumes servari veteres chartas; hoc inquam tricies amplius objectum & repetitum, jandudum explosimus. Quare a Merovingicis diplomatibus ad Carolina nos quoque cum Germonio orationem convertamus.

CA-

CAPUT IX.

Abbatum, abbatissarum, & monachorum testamenta. Sigillorum imagines arbitrariae. De initio regni Pippini, & de anno ejus unctionis variae sententiae discussae. Inaugurationis Pippini per Zachariam summum Pontificem plenissima assertio, & vera epocha ejusdem Pippini. Lis de die illius emortuali.

Quoniam chartas ad primam Regum Francorum dynastiam pertinentes a praejudiciis, quae in Disceptatore sincerum & rectum examen anteverterunt, jam expurgavimus; res ipsa denique postulat, ut in ejusdem vestigia incurrentes ad secundae stirpis diplomata nos quoque progrediamur. Ex his primum occurrit praeceptum Pippini Regis, quo Fulrado abbati Sandionysiano bona ab eodem, sibi urgente gravi morbo, commissa, restituit, & de iisdem disponendi facultatem concedit. In fine diplomatis quod prostat in libro sexto de re Diplomatica pag.495. hae notae chronologicae leguntur: *Data nono kalendas Octobris* XVII. *regni nostri. Actum in ipso monasterio sancti Dionysii.* Mirum

Mirum videtur Germonio *Fulradum ex monacho abbatem factum bona habuisse, quae ipsius essent, non monasterii. quae periculoso morbo vexatus non monachis suis relinqueret, sed regiae fidei committeret. quae convalescens sibi restitui postularet simul cum facultate libere de iis statuendi. Haec*, inquit, *illis, qui praescriptam veteribus monachis vivendi normam non ignorant mira sane videbuntur. Verum*, subdit, *alia eaque momenti majoris suppetunt* Mabillonio opponenda.

II. Sed tanta haec immitis alioquin ubique Censoris humanitas in missis faciendis grandibus & enormibus hujusmodi peccatis in monasticam vivendi regulam, nos ab iisdem peccatis prorsus obliterandis neutiquam debet absolvere: quod quidem praestare facillimum erit ductu Mabillonii in eodem opere, quod tam inclementer vellicat Disceptator: quippe in libro primo capite secundo num. x. de more doctam admodum dissertationem Mabillonius instituit de testamentis Abbatum & Abbatissarum, quae olim fieri consueverant; notatque Abbates atque Abbatissas etiam pietate insignes testamenta condere permissas, cujusmodi sunt Aredii Attanensis, Widradi Flaviniacensis, Fulradi Sandionysiani, & Ansegisi Fontanellensis Abbatum: tum Radegundis ex Regina sanctimonialis, Farae Eboriacensis, & Adalae Palatiolensis Abbatissarum. Quo autem jure id factum, se ignorare Mabillonius ingenue fatetur; praecipue

quum Gregorius Magnus monasterium ingressis nullam superesse facultatem denuo testandi, affirmaverit, quemadmodum non solum leges Imperiales, sed & Regulae sancti Benedicti aliorumque decernunt, peculium quodvis monachos & abbates habere prohibentes.

III. Verum uniformem semper, eandemque ubique gentium hac super re disciplinam servatam non fuisse Mabillonius animadvertit. in aliis enim locis, aliisque temporibus id licere visum est, quod alii nefas existimarunt. Sane auctor cognomento Magister adeo non putavit testamentum abbatis repugnare monasticae disciplinae, quin rem quasi receptam agnosceret, dum Regulae suae capite undenonagesimo praescribit, ut *Breves donationum factos a fratribus tempore mortis suae abbas inserat testamento suo*. Et quidem etiam ex Codicis Theodosiani libro quincto titulo tertio monachos testamenta condidisse intelligitur; praeterquamquod abbates id facientes aut pecuniarias eleemosynas duntaxat legabant, aut si praedia, de iis ante ingressum in monasterium donationem, postmodum sollemni scripto firmandam, faciebant. Prioris generis est testamentum Ansegisi, qui monasteriis & ecclesiis Galliarum pecuniarias eleemosynas legavit, ut pro se mortuo preces effunderent. Ad posterius pertinet testamentum sanctae Radegundis a nobis alibi memoratum, quae statim a monasticae vitae professione quic-

quicquid possidebat, in pias donationes & eleemosynas erogavit: sed tamen sub extremam vitae periodum literis ad episcopos Galliae has donationes ratas esse voluit. Hoc idem Mabillonius in testamento sancti Aredii abbatis observavit in Analectorum volumine altero pag. 48. Ad haec si Germonius animum advertisset, quod ei facillimum erat, mirari desijsset, *Fulradum ex monacho abbatem factum bona habuisse propria, quae ipsius essent, non monasterii: quaeque periculoso morbo vexatus non monachis suis relinqueret, sed regiae fidei committeret*. quod ideo ab eo factum est, ut securitati eorundem bonorum consuleret.

IV. At, hisce utcunque neglectis, Disceptatoris ingenium ob formam sigilli in diplomatibus Regum Francorum non prius visam, praeceptum idem exsibilat, quia, ut ait Mabillonius in libro quincto pag. 388. *In hoc Pippini diplomate sigillum non exhibet Regis effigiem, sed potius Bacchi, aut cujusvis alterius pampino redimiti*: ad quae verba tanquam ad aquas haeret Germonius, cui longe id abhorrere videtur a Francorum usu & moribus, qui suam propriam, & non Bacchi aut alterius falsi numinis effigiem in sigillis suis exhibebant. Hoc quidem nemo negat; sed cur fieri non potuit, ut Pippinus in sigillo suo ejusmodi imagine uteretur eo pacto, quo multi hodieque veterum anulorum gemmas in propria sigilla convertere consuescunt?

Ita ſane in primo ſpecimine Caroli Magni, quod hoc Pippinianum ſtatim ſubſequitur, ejusdem Caroli ſigillum exhibetur inſtar Serapidis ſive Anubis cum modio capiti ſuperpoſito, cujusmodi effingitur in nummis Byzantinis & Juliani Parabatae. Non abſimili pacto veteres uſi ſunt anulis ſignatoriis, in quibus pro libitu ſuo alias atque alias imagines & ſigna eos adhibuiſſe unius Abrahami Gorlaei Dactyliotheca declarat, ubi ad vivum diligentiſſime expreſſa antiquorum ſignacula repraeſentantur. Nec ſolos Gentiles, ſed & Chriſtianos anulis ſuis varia ſignacula incluſiſſe docet Clemens Alexandrinus in Paedagogi libro tertio capite undecimo pag. 246. ex editione Caroli Morelli: *αἱ*, inquit, δὲ σφραγῖδες, ἡμῖν ἔστων πελειὰς, ἢ ἰχθῦς, ἢ ναῦς οὐρανοδρομοῦσα. ἢ λύρα μουσικὴ, ᾗ κέχρηται Πολυκράτης. ἢ ἄγκυραν ναυτικὴ, ἣν Σέλευκος ἐνεχαράττετο τῇ γλυφῇ. *Sint autem nobis ſignacula, columba, vel piſcis, vel navis, quae celeri curſu a vento fertur, vel lyra muſica, qua uſus eſt Polycrates, vel anchora nautica, quam inſculptam in ſigillo habebat Seleucus.*

V. Sanctiſſimi autem eccleſiae Patres peculiaria quaedam ſignacula habuerunt, quibus literas ſuas communirent, quod ex epiſtola Chlodovei Magni ad epiſcopos poſt bellum Gothicum ſcripta, fit exploratum, in Conciliis Labbei tomo quarto columna 1403. ubi ait: *Nam de his, qui in pace noſtra tam clerici, quam laici ſubrepti fuerint, ſi vera-*

veraciter agnoscitis vestras epistolas de anulo vestro infra signatas, sic ad nos omnimodis dirigatis. Et longe antea sanctus Augustinus epistolam LIX. alias CCXVII. ad Victorinum claudit his verbis : *Hanc epistolam signatam misi anulo, qui exprimit faciem hominis adtendentis in latus.* At neque Mabillonius adeo coecus fuit, quin animadverterit, Reges Francorum quum passim sigillis, effigiem suam praeferentibus usi fuerint, nonnullos tamen ex iis aliam interdum adhibuisse, & quidem, ut ipse putat, fortuito, quum expediendis literis regium sigillum non esset in promptu. Etenim libro altero capite decimo sexto, num. VIII. praeter sigillum hoc, de quo disputamus, notat, in diplomate Sandionysiano Pippini Majorisdomus sub Childerico posteriore adponi pro sigillo icunculam, Christi Domini caput repraesentantem, cui duo adstant Angeli poplite flexo, candelabra cum cereis manu gestantes. Inde capite duodevicesimo num. II. observat magnates anulis suis signatoriis sive sigillis ante saeculum decimum impressisse quicquid animo eorum insidebat. His accedit quod Mabillonius non affirmat sigillum Pippinianum reapse effigiem Bacchi exhibere, sed veluti dubitans quamnam exhibeat, ait *Bacchi, vel cujusvis alterius* imaginem praeseferre. Et sane Bacchi esse non potest, qui pingitur adolescens, imberbis, & obesus; ibi autem cernitur homo barbatus, & lauro fortasse, non pampino redimitus. Quare ex hujus-

hujusmodi ſigillo, utcunque inſolenti, immo verius arbitrario, non autem ſubditivo, ut Cenſor contendit, fraudem in ipſum diploma irrepſiſſe, niſi hoc aliunde probaverit, neutiquam illi concedimus. Ceterum levia & ludicra haec ſunt prae iis, quae contra notas chronologicas ejusdem praecepti conſarcinat. quum enim datum dicatur die XXIII. Septembris anno Regni Pippini XVII. qui ſecundum Mabillonium incidit in annum vulgarem DCCLXVII. hinc ſcripti impoſturam exploratam fieri non dubitat quod Pippinus diem obierit XVIII. Septembris, non completo anno Regni ſui XVII. ut multis oſtendere nititur, quorum falſitas paullo altius nobis repetenda eſt.

VI. Exordium Regni Pippini in varios annos Dionyſianos ab auctoribus tractum, literis mandavit Mabillonius libro altero capite viceſimo ſexto num. XI. Quidam enim in annum DCCL. nonnulli in annum DCCLI. alii in DCCLII. Baronius in DCCLIV. quo iterum coronatus eſt a Stephano ſummo Pontifice, initium Regni Pippini rejecerunt. Verum inter chartas & auctores diſtinguendum monet Mabillonius, quia chartae pleraeque Pippini regni initia figunt anno DCCLII. auctores vero alii aliis annis. Ejus nimirum regiam unctionem a ſancto Bonifacio epiſcopo Moguntino factam anno DCCL. perhibent Annales Francorum de rebus geſtis Pippini & Caroli Magni, ſicut etiam Eginhardus, Regino, Marianus Scotus,

Scotus, & Sigebertus. At vero Annales Fuldenſes ſub anno DCCLII. Aimoinus ſub anno DCCLI. eandem unctionem conſignant: quorum litem dirimit vetuſtiſſimus Codex olim, ut videtur, Sandionyſianus, de quo mox agam, complectens quasdam vitas Sanctorum cum Gregorio Turonenſi de Gloria confeſſorum; ibi enim Pippini Regis annus XVI. componitur cum anno DCCLXVII. unde annus primus concurrit cum anno DCCLI. quare hoc pacto ſe res habuiſſe videtur. Sub autumnum anni DCCL. miſſi ſunt Legati ad Zachariam ſummum Pontificem de ſubſtituendo Pippino in Childerici locum. Annuit Pontifex, ut teſtatur Eginhardus, Annales Loiſeliani, Fuldenſes, Bertiniani, & Metenſes, necnon Ado, Regino, Marianus Scotus, Lambertus Schaffnaburgenſis, Sigebertus, & Continuator Aimoini, ut his recentiores praeteream. Prae omnibus autem hanc veritatem adſtruit Codex jam memoratus, cujus integram ſubſcriptionem recitat Godefridus Henſchenius in altera exegeſi praeliminari ad tomum tertium Martii; unde evaneſcit inaudita ſententia Cointii ſub anno DCCLII. num. V. & ejus exſcriptoris Natalis Alexandri in Saeculo octavo Hiſtoriae eccleſiaſticae, Diſſertatione ſecunda: qui temporibus Sedi Apoſtolicae parum aequis hiſtoriam veritatis magiſtram aulicae aſſentationi, & proprio genio accommodaturi inconcuſſam rei antiquiſſimae fidem conſilio praepoſtero elevare conati fuerunt, fabuloſis narratio-

rationibus accensentes missionem Pippini ad Zachariam: quasi inglorium quid admissuri, si a summo Pontifice Francorum Regnum Childerico stirpis Meroveadarum ultimo ablatum, & Pippino collatum fuisse concedere viderentur.

VII. Sed eorum confidentiam penitus jugulat memorati Codicis MS. Gregorii Turonensis clausula de Pippini, cujus temporibus Codex scriptus est, in Francorum Regem consecratione post Childericum solio detrusum *per auctoritatem & imperium sanctae recordationis domni Zachariae Papae, & unctionem sancti chrismatis per manus beatorum Sacerdotum Galliarum*, ut habetur in laterculo ejusdem clausulae: quam post Bollandianos iterum vulgavit candidissimi animi scriptor Theodericus Ruinartus ad calcem laudati opusculi Gregorii Turonensis col. 991. Atque idem Ruinartus post Anonymum, qui jussu Childebrandi Comitis scripsit Gesta Francorum, quartam partem Continuationis Chronici Fredegarii constituentia, ingenue fatetur columna 686. conjectationem Cointii *omnibus scriptis & editis contrariam* esse; ab eoque *nullam rationem afferri*, *nisi quod*, *ut quidem existimat*, *Franci Pontificem de Regis electione non consuluerint*, *nec tunc consuetudo fuerit Reges ungendi*. utrunque vero refellitur ex jam dicta clausula Codicis Sandionysiani ipso Pippino regnante conscripti. Animum Cointii in hac re parum defaecatum ultro agno-

agnovit, & ejus nomine non expresso modeste indicavit optimus quoque Mabillonius in libro altero de re Diplomatica capite vicesimo sexto num. XI. ubi eandem clausulam ex Codice a se coram inspecto & ipse in medium adduxit: quod iterum egit etiam Henschenius in Analectis Bonifacianis non ita pridem vulgatis tomo primo Junii pag. 487. diluens calumniam a Cointio sibi conflatam, quasi inaugurationem Pippini Zachariae Pontifici tribuisset, ut *gloriae regni Francici* contumeliam faceret.

VIII. Anno ergo DCCLI. Francorum animi in Pippini consecratione adquieverunt; quae eodem anno exeunte, vel sequenti ineunte facta est: unde ab hoc anno DCCLI. regnum Pippini coepit numerari, non autem ab anno DCCLIV. quo a Stephano Papa iterum consecratus & unctus est, ut cum Isone monacho existimavit magnus Annalium conditor. Hanc epocham regni Pippini tria instrumenta a Melchiore Goldasto in lucem emissa confirmant; duo quidem in rerum Alamannicarum volumine altero num. XLII. & XLIII. tertium vero in tertio volumine pag. 57. Neque aliter Regis Pippini annos in Gallia numeratos fuisse manifestum fiet Germonio quotiescunque contulerit Chronici Fontanellensis a Dacherio vulgati caput decimum quartum cum decimo tertio, ubi Pippinus anno DCCL. Rex Francorum constitutus dicitur, nempe anno exeunte. siquidem in capite decimo quarto annus ejus secundus compa-

ratur cum anno Dionysiano DCCLIII. quo pacto in MS. Chronico pervetusto per Mabillonium laudato, Pippinus, qui excessit anno DCCLXVIII. & quidem octavo idus Octobris, *annis septemdecim* regnavisse memoratur. Quare Germonius rem pridem notam, testatam, & manifestam vulgare laborat probaturus Pippinum ad plures ivisse anno DCCLXVIII. & quidem die duodevicesima Septembris, ut inde spurium praeceptum Fulrado concessum evincat, utpote quod secundum epocham aliquorum datum fuerit integros dies quinque ab obitu Pippini, hoc est vicesima tertia Septembris: vel si non ipsa die ejus obitus, pridie antequam moreretur, si aliorum sententiam sequamur. At de die emortuali Pippini neminem veterum cum suo Anonymo, qui Fredegarium jussu Nibelungi continuavit, quique in multis aliis etiam fallitur, consentientem reperiet. quippe Annalista Petavianus Pippini mortem consignat IX. *kalen. Octobris*, Regino VIII. *idus Augusti*, Annalista Loiselianus VII. & Nazarianus VIII. *kal. Octobris*, quemadmodum prodit Cointius anno DCCLXVIII. num. x. ubi postremae huic sententiae subscribit, ab auctore Chronici Sandionysiani, ab Annalista Laureshamensi, Bertiniano, Fuldensi, Metensi, & ab antiquis diplomatibus confirmatae.

IX. Praeterea, quod caput rei est, diploma Pippini dari potuit anno DCCLXVII. Regis Pippini ineunte anno decimo septimo, quo eodem exeunte

animam

animam efflavit die vicesima quarta Septembris anno DCCLXVIII. ex eodem Cointio. atque hoc pacto aranearum telas Germonius texuisset dum nullius frugis infinito atque anxio labore diem emortualem Pippini operose venatus est ad evertendum diploma anno ferme integro citius ab eodem Rege concessum. sed esto charta conscripta fuerit eodem anno & mense extremo Pippini, nihil inde tamen conficiet Disceptator; quippe data erit uno aut altero die ante ejus mortem, quod illius veritati nihil officit, utut verba diplomatis non referant Principem moribundum, sed florentem, atque incolumem. nemo enim ignorat, diplomatum formulas non tunc primo conscriptas quum diplomata concessa sunt, sed tanto ante a notariis in usum cotidianum paratas, quemadmodum formulae Marculfi, ceteraeque a Bignonio, Sirmondo, & Baluzio vulgatae patefaciunt.

CAPUT X.

Diplomata duo Carolomanni cur non integre a Mabillonio vulgata. Salmonciacum locus in Auſtraſia prope Laudunum. Chlodoveus III. dictus etiam Chlotarius. Nonnulla binominum exempla.

I. NImia libido convellendi univerſum Diplomaticum opus ita Germonium praecipitem extra lineam duxit, ut non ſolum inſtrumentis jam editis diros ungues injiciat, ſed etiam non edita & non viſa in falſitatis ſuſpicionem publicitus trahat. Quum enim Mabillonius libro quinto pag. 387. ſegmentum praecepti Carolomanni Pippini filii fratriſque Caroli Magni in Attiniacenſi palatio conſcripti pro ſpecimine characteris vulgaſſet, Cenſor hinc apud eundem Mabillonium expoſtulat quod conſuetum alibi morem, in illo repraeſentando minime ſervaverit; & cauſſam quamobrem ab eodem praecepto integre edendo deterritus fuerit, ſe exſpiſcari non poſſe conqueritur: hinc ſuſpicans, de induſtria illud publicae luci a Mabillonio ſubtractum, ut ejus notae adulterinae cenſorios contactus effu-

effugerent. Ita proni ſumus ad inique judicandum quotieſcunque in avia & devia animum noſtrum malus abſtulit error. Sed adhuc aetheria veſcitur aura Mabillonius, qui cornicum oculos configere poterit, publici juris faciendo integrum diploma Carolomanni, & cauſſam in apertum proferre, cur id ante praetereundum ſatius exiſtimaverit: quanquam in libro ſexto num. XLVIII. pag. 497. diſerte ſcripſerit, ſe omiſiſſe duo Carolomanni diplomata autographa data in Attiniaco palatio pro coenobio Sandionyſiano, utpote quae erant ſub iiſdem prorſus notis atque illud praeceptum Carolomanni, quod ibidem repraeſentavit. Quare illa conſulto praeteriit ne occideret miſeros crambe repetita magiſtros; non vero ut eorundem truci ſupercilio illorum ſinceritatem ſubduceret.

II. Praeceptum mox laudatum Carolomanni integre editum libro ſexto, datum eſt *menſe Januario anno primo regni ſui* (nempe DCCLXIX.) *Salmunciago palacio publico*. Mabillonius, ſeu potius Michaël Germanus ejus ſocius in Diſſertatione de Palatiis Regum Francorum, quae proſtat libro quarto de re Diplomatica, ſcribit num. CXXVI. pagina 321. *Salmonciacum Lauduno proximum*, *Auſtraſiani regni partem* fuiſſe. Contra hoc inſurgit Diſceptator, quia *Auſtraſianum regnum non ad Carolomannum*, *ſed ad Carolum Magnum ejus fratrem* pertinuit. Sed an Auſtraſia ad alterutrum pertinuerit,

rit, necne, Germanus de hoc nequicquam disputavit: tantum Salmonciacum ejus partem fuisse scriptum reliquit: & jure quidem, etenim, ut notat Valesius in Notitia Galliarum, Regibus Austrasiae (quo nomine, regnantibus filiis Chlodovei, pars Franciae jacens Rhenum inter & Mosam appellata est) paruerunt provincia Belgica, & Belgicae secundae urbes Remi, Catalauni, Camaracum, & Lugdunum Clavatum sive Laudunum, cui proximum erat Salmonciacum: unde quicquid iisdem Regibus Austrasiis parebat, Austrasii regni partem existimatam fuisse, non injuria putaverim.

III. Salmonciacum vero ad Carolomannum pertinuisse ultro fatetur Germonius; neque hinc diplomatis sinceritatem in judicium vocat; sicut neque *ullum argumentum* se ducere ait *ex borrida stili barbarie, quae cum aetatem Caroli Magni non sapiat, totum diploma suspectum facere potest*: quae somnia de stili barbarie ex porta eburnea egressa quum centies exsufflaverimus, supervacaneum est Germonium iterum atque iterum ad eundem lapidem offendentem in viam reducere, quoniam pridem ostendimus, stilum diplomaticum ad barbaram notariorum & tabellionum normam; non vero ad emunctos eruditorum canones perpendendum esse: praeterquamquod aetas Caroli Magni, quantum ad literarum instaurationem spectat, non est ducenda ab anno DCCLXIX. quo datum est diploma Carolomanni, sed

ſed ab exeunte ſaeculo octavo, & a nono ineunte, quo idem Carolus vere Magnus, adhibitis, ut ferebant ea tempora, doctiſſimis viris, literarum & ſcholarum inſtaurationem in Imperio ſuo paſſim adgreſſus eſt. Nihilominus qualis ſcriptura, orthographia, & ſermo in Italia vigeret ſaeculo octavo & nono ineuntibus oſtendit duplex inſcriptio inter Marmora Felſinea Caroli Caeſaris Malvaſiae, prima pag. 189. quae eſt in vaſe marmoreo a tempore Luitprandi Regis, altera vero pag. 572. ſub Ludovico & Lothario. Quod ſi in lapidibus, & in Italia adeo imperite ſcribebatur, quanto magis id fieri debuit in chartis notariorum extra Italiam dictatis?

IV. Apud Doubletum pag. 705. exſtat aliud diploma Carolomanni, cujus initium & finis, ejusdem ferme tenoris ſunt atque illud idem, quod Mabillonius vulgavit; niſi quod in Doubletiano, Dagoberti & Pippini praecepta memorantur, in Mabilloniano vero fit mentio placiti Childeberti, quo Grimoaldi Majorisdomus conſenſu mercatores ad nundinas Sandionyſianas concurrentes eximuntur omnibus teloniis. Utrunque hoc diploma ſpurium eſſe non dubitat Germonius: immo pro certo habet ad normam prioris illius procuſum fuiſſe alterum per falſarios: hosque, ne Dagobertini praecepti commentum imposturae laruam detraheret, placiti Childebertini mentionem ſubſtituiſſe cauſſatur. Idque planum inde fieri exiſtimat quod Childebertus in placito illo edito libro

libro ſexto de re Diplomatica num. XXVIII. pag. 482. fratrem ſuum Regem, cui proxime in regnum ſucceſſerat, nomine *Chlodocharium* appellat: quem tamen *Chlodoveum III.* dictum fuiſſe conſtat. At ſuum cuique pulchrum. Mabillonium antiqua diplomata delectant, quae Germonium nauſea & taedio afficiunt; unde nil mirum, ſi ille in placito Childebertino ab iis non abhorret, quae Diſceptatorem adeo perturbant. Placitum illud *multis capitibus inſigne videtur* Mabillonio: & primo quod in eo Childebertus germanum ſuum vocat *Chlodocharium*, cujus & praecepta commemorat: quemque haud dubie credit Chlodoveum III. eſſe, qui binominis erat, ut patet etiam ex Pippini autographo indubitato apud Doubletum pag. 694. ubi *Chlotarius* pro Chlodoveo nominatur.

V. Hujuſmodi ſane virorum binominum multa exempla paſſim occurrunt. Sic Dado Referendarius, quem ſaepe nominavimus, dictus eſt etiam Audoënus. Aribo epiſcopus Friſingenſis qui ſcripſit vitam ſancti Corbiniani, dictus eſt Heres, & Cyrinus. Chilpericus III. Rex Francorum appellatus fuit etiam Daniel. Alcuinus alio nomine Albinus, & Arno ejus frater Salisburgenſis epiſcopus, Aquila. Bonifacius Moguntinus alio nomine Winfridus. Poppo Aquilejenſis Patriarcha apud noſtrates Forojulienſes vir celeberrimi nominis, utpote qui ineunte ſaeculo undecimo non tantum urbis olim maximae, ſed & uni-

universae provinciae faciem instauravit, ab Anonymo Abdinghoffensi capite decimo quarto vitae sancti Meinwerci Paderbornensis episcopi tomo primo Junii Bollandiani pagina 546. num. 105. vocatur *Wolffgangus*. Margareta Ducissa Carinthiae, ob cujus impudicitiam magnae turbae insurrexerunt inter Ludovicum IV. cognomento Bavarum, Imperatorem, & Apostolicam Sedem, a Benedicto XII. in epistola nondum edita ad Bertrandum Patriarcham Aquilejensem appellatur *Elisabeth*. Sicut ergo nemo aequus rerum judex continuo exsibilabit tanquam spuria scripta illa, in quibus memorantur *Daniel*, *Albinus*, *Audoënus*, *Cyrinus*, *Aquila*, *Winfridus*, *Wolffgangus*, & *Elisabeth* pro Chilperico, Alcuino, Dadone, Aribone, Arnone, Bonifacio, Poppone, & Margareta; ita sperandum est Germonium mitiorem aliquando evasurum ubi placitum Childeberti, & Carolomanni praeceptum, in quo idem placitum laudatur, commenticia reputare non dubitat hac una de caussa quia is, qui alio nomine Chlodoveus dicebatur, ibi Chlotarius dicitur. quidni enim dies mentem aperiet antiquitatis studioso, ut tandem persuasum habeat posterioris aetatis chronographos & historicos veterum membranarum & instrumentorum auxilio emendandos, & supplendos, potius quam instrumenta & membranas ex iisdem chronographis & historicis rejiciendas?

CAPUT XI.

Voces serenitas, *&* regalis *Carolo Magno longe antiquiores. Expeditiones Caroli contra Saxones, & Rodgaudum Forojuliensem Ducem anno suo restitutae. Ejusdem mora in villa Carisiaco. Comitia & conventus publici veterum Francorum* Campus Martii *& deinde* Maii *appellati. Reinesii, & Rivini opiniones non probatae. Bellarminus a Cointio inique habitus. Campus Roncaliae. Campus Maii bis, & ter quotannis indictus. Vocatus etiam* Placitum, Synodus, Mallum, Colloquium, Parlamentum, Curia, Curtes, *&* Cortes.

I. MAbillonius in libro quincto pag. 386. obtulit specimen Diplomatis Caroli Magni anno DCCLXXIII. conscripti: quod integrum postea minime recitavit. non enim recitare sibi in animum induxit singula monumenta, quorum scripturae specimina in tabulis aeneis caelari curavit, sed tantum insigniora. Nihilominus vel hinc universum diploma in falsitatis suspicione Disceptator ponere molitur, quasi Mabillonius illud *parum*

parum dignum publica luce judicaverit: quod sibi constare putat ex paucis illis verbis caelo descriptis, ubi voces *regalis serenitas*, diplomatis fraudem prodere ait, utpote quae aevo Carolino non satis congruant. At si *serenitas* aevo Justinianeo congruebat, ut docet Facundus Hermianensis in Defensione trium Capitulorum libro quincto capite altero, ubi scribit: *Advertat autem serenitas tua*; quidni etiam congruere poterit aevo Carolino? Voces *serenum* & *serenatum* eodem sensu usurpasse videtur Venantius Fortunatus libro tertio Poëmate altero:

Nubila nulla gravant populum sub Rege SERENO.

Et libro sexto Poëmate quarto ad Regem Charibertum:

Splendet in ore tuo detersa fronte SERENUS,
Sinceros animos nubila nulla premunt.
Blanda SERENATUM *circundant gaudia vultum*,
Laetitiam populus Regis ab ore capit.

Voce itidem *regalis* non semel utitur Ammianus Marcellinus in libro decimo sexto capite duodecimo; & Gregorius Turonensis libro nono Historiae Francorum capite vicesimo sexto nominat *servitium regale*, de quo erudite Hadrianus Valesius in libro undecimo rerum Francicarum. Idem Gregorius in libro quincto capite duodequinquagesimo col. 266. de *regalibus pueris* mentionem fecerat. Utitur ea voce etiam Avitus Viennensis in epistola quincta; atque hos omnes aevo Carolino longe praeivisse, non

 puto

puto a Censore in controversiam vocari. *Regalia monasteria*, & *regalis consensus* prostat in literis Emmonis Senonensis episcopi apud Mabillonium in libro decimo quarto Annalium num. LXIII. sub anno DCLVIII. Sanctus Ludgerus in actis sanctorum Bonifacii & Gregorii apud Christophorum Browerum in Sideribus Sanctorum Germaniae pagina 18. ait de Albrico, quod *tunc temporis in Italia erat* REGALI *servitio occupatus*. Occurrit eadem vox in Codicis Theodosiani libro septimo titulo primo Lege IX. *de re militari*, ubi multa Jacobus Gothofredus.

II. Hinc ad alterum diploma Carolinum libri sexti num. L. pro monasterio Sandionysiano *actum Carisiago palatio publico sexto kalen. Julias anno septimo*, & *secundo regni sui*, nempe anno vulgari DCCLXXV. oculos vertit Germonius, valde longis eoque non felicioribus conjecturis probare contendens, die vicesima sexta Junii Carolum Magnum haud reperiri potuisse in villa Carisiaco; licet ultro fateatur anno exeunte DCCLXXIV. ex Italia reducem se Carisiacum recepisse; ibique moratum a Natali Domini ad anni sequentis Pascha, quod incidit in diem vicesimam sextam Martii. Certe Mabillonius in erudita Disquisitione de Carisiaco, quae est in libro quarto de re Diplomatica pag. 258. bina diplomata laudat *anno septimo regni ejus pridie idus Martias* ibidem data. quare si Carolus Magnus in villa regia Carisiaco moras trahebat die decima quarta & vicesima sexta

ſexta Martii, cur morari non potuit etiam uſque ad diem viceſimam ſextam Junii, integris duobus menſibus interjectis?

III. Hoc vero mordicus negat Diſceptator, quia anno DCCLXXV. quum Cariſiaci *biemaret conſilium injit, ut perfidam & foedifragam Saxonum gentem bello aggrederetur*, ut ait Eginhardus: ex quo deducit uſque ad finem Junii eum haudquaquam Cariſiaci manſiſſe: idque potiſſimum, quod e Saxonia domum revertens, nuncio accepto de Rodgaudo noſtratium Forojulienſium Duce res novas moliente, magnis itineribus ad Civitatem Forojulienſem & Tarviſium contenderit eodem anno DCCLXXV. ut habent Annales Loiſeliani apud Ducheſnium tomo altero pagina 29. Sed haec facile diluuntur: dum enim Carolus hiemabat Cariſiaci injit quidem conſilium debellandi Saxones, ſed non eſt exequutus niſi poſt Junium. Reditum vero ejus e bello Saxonico alii ſcriptores ſerius referunt; & prae ceteris Anonymus Paderbornenſis, vulgo Poëta Saxonicus, quem primus edidit Reinerus Reineccius, in libro primo de Geſtis Caroli Magni ſub anno DCCLXXVI. Indictione XIII. ita canens de reditu Caroli ex eodem bello Saxonico:

Cumque domum rediens Princeps iter acceleraret,
Comperit Auſoniis in partibus eſſe Tyrannum
Nomine Hrodgaudũ, nova qui molimina tentans,
Nec quem Rex illi dederat contentus honore,

Ita-

Italiae latum voluit sibi subdere regnum;
Quippe Ducem, Comitemq; Forojuliensibus ipsum
Constituit Carolus primo cum clara triumpho
De Langobardis victor vexilla revexit....
Huic nimis ingratus dono male sollicitabat
Urbibus ex multis populos, ac fecit ut ad se
Deficerent, justo Caroli spreto dominatu.
Hos ut comprimeret, motus nil ipse moratus,
Strenua quam celeri raptim vocat agmina jussu,
Cum quibus Italiam properans, meritoq; Tyrannũ
Interitu plectens, Urbes servare receptas
Francorum Comites, quos ipse locabat in illis
Jussit, & ut venit velox, sic inde recessit..

IV. Haec quum contigerint hieme anni DCCLXXVI. (nam Annales Tiliani pag. 14. testantur ipsum Carolum Natale Dominicum celebrasse in villa Scladistat, Pascha autem Tarvisii) ejus adventus contra Rodgaudum nil obstat diplomati dato Carisiaci anno antecedenti quo Carisiaci adhuc morabatur: & propterea non unus Germonius Annalium excussor, & diplomatum censor, sed etiam Cointius hanc ipsam expeditionem perperam locavit sub anno DCCLXXV. Epocham hanc Poëtae Saxonici confirmat Annalium Francorum scriptor anonymus, quem sequutus est Regino. in ejus enim fragmento edito ab Henrico Canisio in tomo tertio parte prima Antiquae lectionis pag. 202. sub anno DCCLXXVI. haec habentur: *Tunc Carolus Rex Italiam in-*

ingressus est, per partes Fori Julii iter peragens, Ruodgandus occisus est, & dominus Carolus Rex apud Tarvisium civitatem Pascha celebravit, & captis Civitate Foro Julii, & Tarvisio cum reliquis civitatibus, quae rebellarant, disposuit eas omnes per Francos. Albericus Monachus trium Fontium nuper a V.C. Gullielmo Godefrido Leibnitio editus in Accessionibus historicis tomo secundo eadem trahit ad annum DCCLXXVII. haec scribens pagina 113. *Karolus urbem Foro Julii capit, & ducem ejus Rhotgandum rebellionis incentorem decollari praecipit, captaque Tarvisio urbe &c.* Quod Carolus hieme ejusdem anni DCCLXXV. indictione XII. Saxonibus bellum inferre decreverit; deinde conventum apud Duriam indixerit, & postea contra Saxones exercitum duxerit, quae quidem omnia intra paucos dies fieri nequierunt, testatur idem Poëta Saxonicus sub anno mox indicato:

Rex biemis tempus ducens in Carisiaco,
Nomine quo quaedam regalis villa vocatur,
Illuc Francorum Proceres, totumque Senatum,
Convocat, ac multum tractans de rebus agendis,
Et variis quibus indiguit res publica curis,
In primis hoc consilium perhibetur inisse,
Ut jugiter bellum Saxonibus ingereretur.

Et post aliquot versus interjectos:

Hoc inspiratum cordi divinitus ejus
Utile consilium comitantur strenua facta;

Quippe

Quippe Duces, omnisque simul delecta juventus
Ad Duriam vicum properant. Nam Rege jubente
Illic conventus populi generalis habetur;
Atque dehinc grandi transmisso flumine Rheno,
Saxonum Carolus fines hostiliter intrat.

Ad evertendam Caroli moram in Carisiacensi villa mense Junii, Germonius opponit Annales Nazarianos, in quibus sic legitur apud Duchesnium tomo altero pag. 4. sub anno DCCLXXV. ***Mai campus ad Duria & Carolus Rex cum exercitu Francorum in Saxonia***: quod & in aliis chronicis apparet: unde ex conventu Duriensi, ut ipse putat, mense Maii celebrato, jure sibi colligere videtur Carolum recta in Saxoniam profectum, non autem Carisiacum remeasse, itaut ibidem mense Junio diplomata largiri potuerit. Sed haec paullo altius sunt nobis examinanda.

V. Ab initio monarchiae Francorum praecipuo anni tempore conventus generales quotannis indicebantur ad jus dicendum, novas leges sanciendas, gravamina & donaria populorum excipienda: ad tractandum de rebus publicis, & de iis, quae ad Regum & regni statum pertinere videbantur. Eadem occasione militares copiae recensitae; ex quo aliqui, ut Hincmarus loco mox adducendo, & Frodoardus in Historia Remensi libro primo capite decimotertio putarunt hujusmodi comitia *Campos Martios* a Deo Marte indigitata; licet Carolus Cangius vir

vir ſelectiſſimae, & diffuſiſſimae eruditionis in rebus aevi ſequioris, Diſſertatione quarta ad Joinvillam, & in Gloſſario, ita dictos oſtendat quod initio menſis Martii cogerentur: quod ſub priori ſtirpe Francorum perſeveravit uſque ad Pippinum. Hic enim pro majori commodo traxit eosdem conventus ad kalendas Majas, ut Anonymus, qui Fredegarium juſſu Nibelungi continuavit his verbis teſtatur anno DCCLXV. capite CXXXI. inter opera Gregorii Turonenſis col. 699. *Aurelianis veniens placitum ſuum Campo Madio, quod ipſe primus pro Campo Martio pro utilitate Francorum inſtituit, tenens, multis muneribus a Francis proceribus ſuis ditatus eſt*. Idem confirmat Hincmarus in vita ſancti Remigii capite triceſimo primo apud Surium die decima quarta Januarii, ubi ait: *Quem conventum poſteriores Franci Maii Campum, quando Reges ad bella ſolent procedere, vocari inſtituerunt. Ex illo tempore iidem conventus dicti ſunt Campi Magii, & Madii*. Ex his videtur refutari poſſe Germonius. quocunque enim menſe bellicae expeditiones inſtituerentur, comitia, in quibus de his agebatur, *Campi Maii* dici conſueverunt. Quare *Campus Maii* fieri potuit ad Duram poſt diem VI. kal. Julias, quo Cariſiaci morabatur Carolus Magnus. Porro Cariſiacum inſtructiſſima villa Regum Francorum ſtetit in Gallia Belgica ad Iſaram fluvium in agro Sueſſionenſi leucis tribus a Noviomo ex oculari obſervatione Mabillonii

pagina 261. Duria vero ſive Marcodurum Ubiorum ſtetit Coloniam inter & Aquisgranum ex eodem auctore pag. 281. & quidem in Ducatu Juliacenſi ſecundum Ortelium.

VI. Quo anno *Campi Martii* in *Campum Maii* mutatio per Pippinum facta contigerit nos docent etiam Annales Petaviani apud Ducheſnium tomo altero pag. 7. his verbis: *Anno* DCCL. *venit Thaſſilo ad Martis Campo, & mutaverunt Martis Campum in menſe Majo.* Idem habent Annales Moſciacenſes in Bibliotheca MSS. Labbei tomo altero pag. 734. Hinc lapſus deprehenditur Thomae Reineſii, qui Variarum lectionum libro tertio capite primo pag. 315. *Maii Campum* dictum putat quod ſub Regibus Merovingis quotannis ad kalendas Majas generalis conventus indiceretur: quam conſuetudinem etiam apud Francos Imperatores viguiſſe opinatur. Sed & alium errorem ibi Reineſius erravit ex gemina voce *Maii* vel *Mai Campus* unicum vocabulum conflans *Maicampus*: quod avide arreptum aliis commentis inſuper cumulavit Andreas Rivinus in erudita Diatribe de Majumis, Maicampis, & Roncaliis capite octavo pag. 608. in ſyntagmate Diſſertationum a Graevio collecto: ubi ludicra & impudica ſpectacula, voce graecolatina *Majumas* appellata, Germanos & cum primis Franciscos Caeſares ſuae linguae accommodantes *Maicamp*, *Maikamp* & *Maicampum* vocaviſſe & celebraviſſe ſcribit:

bit: quae vox vel semilatina, vel etiam Germanica ipsi est: quod postremum sane Rivinus, unicam vocem attendens, pronunciavit, aliter forte pronunciaturus, si eandem vocem in duas secuisset. Cedrenum quoque, Anastasium & Theophanem comitia Francorum sub prima stirpe kalendis Maiis facta scribentes redarguit Cointius sub anno DCCLII. num. XIX. atque ibi etiam gravissimum Cardinalem Robertum Bellarminum *duplici vituperio dignum* proclamare non dubitat, quod in libro altero de Romano Pontifice capite decimo septimo, Reges Francorum paullo ante Pippini tempora a majoribus suis ita degenerasse prodiderit, ut omni prorsus regni cura in magistros equitum, seu praefectos aulae translata, *tantum semel in anno kalendis Maii se populo ostentarent*; toto vero reliquo tempore deliciis & voluptatibus operam darent.

VII. At ego tanti non sum, ut virum inculpata innocentia, & doctrina sacratiori longe commendatissimum, cujus scripta, innumeris in Ecclesiam Catholicam meritis illustria, omnes suspiciunt, tam levi de caussa invidiose sugillem. Etenim, praeterquamquod virum magnum humani aliquid pati non est tam graviter ferendum; quae ipse tradidit de ignavia Regum posteriorum ex Merovingica stirpe, eadem ex antiquis Annalibus, quos recenset, mutuatus est; & quantum ob eorum socordiam tunc religio in Galliis laboraret, palam facit sanctus Boni-

facius martyr epistola tricesima secunda supra centesimam ad Zachariam summum Pontificem. Quod vero conventus generales Francorum *kalendis Maii* non *Martii* sub Merovingis convocatos tradiderit Bellarminus, in eo a Graecis scriptoribus deceptus est, qui forte Cointium quoque decepissent, nisi, quemadmodum dies diem aperit, subsidio chronicorum, quae post Bellarminum ex bibliothecarum latebris prodierunt, ab eodem errore sibi cavisset. Quid, quod Albericus trium Fontium sub anno DCCL. pag. 115. eadem omnino tradit ac Bellarminus.

VIII. Ex hactenus dictis apparet quam immerito Reinesius loco superius indicato hujusmodi *Martis Campum*, uti eum vocat Annalista Pithoeanus, putaverit esse commentum a barbaro scriptore excogitatum exemplo dicasterii Atheniensis, vel Romani Campi Martii prope Tiberim, ubi comitia celebrabantur: quem eundem Reinesium propterea, tacito ejus nomine, *Criticorum Rhamnusium* appellat Rivinus. Sed *Campus Martius* apud urbes praecipuas & opida ubi Romani dominabantur, alius erat a *Campo Martii* & a *Campo Maii*; illa enim appellatione significabatur planities ampla, in qua armorum exercitationi incolae operam dabant. Sic *Campum Martium* Trevirensem memorat Nizo in vita sancti Basini capite primo num. 5. tomo primo Martii Bollandiani pag. 316. Niciensem Petrus Joffredus in Nicaea illustrata capite quarto pagi-

pagina 8. Tornacenſem auctor vitae ſancti Eleutherii capite ſecundo num. 5. tomo tertio Februarii Bollandiani pagina 188. Veronenſem Hieronymus a Curte in Hiſtoria ejusdem urbis libro ſeptimo pagina 415. Vicetiae nomen *Campi Martii* adhuc ſupereſt; & eundem quoque patuiſſe extra Civitatem Forojulienſem, ubi generoſa juventus haſtiludiis exercebatur nos ex veteribus chartis didicimus.

IX. Poſtquam a Francis ad Germanos Imperium translatum eſt, ſollemnia Caeſarum comitia poſt indictam publicam expeditionem Romanam ad ſuſcipiendum coronam vel aliam ob cauſſam, ſuper Padum non longe a Placentia in loco dicto, *Roncaliae Campus*, coacta fuiſſe teſtatur Otto Friſingenſis in Friderico I. libro ſecundo capite duodecimo, & Conradus a Liechtenaw, cognomento Abbas Urſpergenſis in Chronico pag. 218. editionis Argentoratenſis anni MDCIX. Illuc porro omnes vaſſalli ſub poena jacturae feudorum prima nocte Caeſari adeſſe cogebantur, ut canit Guntherus in Ligurini libro ſecundo. Lotharius Imperator ſe *apud Roncalias ſecundum antiquam Imperatorum conſuetudinem pro juſtitia ac pace regno componenda* conſediſſe teſtatur in libro ſecundo Feudorum Tit. LII. num. 1. & Tit. LV. Ibidem quoque Fridericus I. publicavit *Authenticam Habita* Cod. *Ne filius pro patre*, de qua erudite nuper diſſeruit eximius in Gymnaſio Ticinenſi Anteceſſor Antonius Gattus

Hiſto-

Historiae ejusdem Gymnasii capite XIII. An autem Roncalia dicta sit quasi *Romwalia* ex Teutonico *Rom wallen*, idest *Romam ire*, litera W in G vel C, & concursu duarum LL in unicam L per Francogallos conversis, ut hariolatur Rivinus, aliis disquirendum relinquo.

X. Ut vero e diverticulo in viam redeam, publicos & generales ejusmodi apud Francos totius regni ordinum conventus, quibus Reges praeerant, & in quibus de arduis regni negotiis, & imminentibus bellis tractabatur, omnibus vassallis illuc concurrentibus, bis quotannis veteri consuetudine habitos fuisse testatur Hincmarus Remensis in epistola ad Proceres regni pro institutione Carolomanni Regis capite undetricesimo in tomo secundo operum p.211. num. XXIX. *Consuetudo autem tunc temporis talis erat, ut non saepius, sed bis in anno, placita duo tenerentur. Unum quando ordinabatur status totius Regni ad anni vertentis spatium: quod ordinatum nullus eventus rerum, nisi summa necessitas, quae similiter toto regno incumbebat, mutabat. In quo placito generalitas universorum majorum tam clericorum, quam laicorum conveniebat: seniores propter consilium ordinandum: minores propter idem consilium suscipiendum; & interdum pariter tractandum; & non ex potestate, sed ex proprio mentis intellectu, vel sententia confirmandum. Ceterum autem propter dona generaliter danda aliud*

aliud placitum cum ſenioribus tantum & praecipuis conſiliariis habebatur; in quo jam futuri anni ſtatus tractari incipiebatur, ſi forte talia aliqua ſe praemonſtrabant, pro quibus neceſſe erat praemeditando ordinare ſi quid mox tranſacto anno priore incumberet, pro quo anticipando aliquid ſtatuere aut providere neceſſitas eſſet.

XI. Ex duplici hocce conventu neutrum menſe Majo, ſed aliis menſibus poſt Pippinum fieri conſueviſſe deprehendimus ex Annalibus Bertinianis apud Ducheſnium tomo tertio pagina 188. ſub anno DCCCXXXII. ubi fuga lapſo Pippino filio Ludovici Pii *in vigilia Innocentium, tunc Imperator*, inquit Annaliſta, *convocatis undique conſiliariis, habitoque cum eis conſilio quid de his agendum eſſet, ſtatutum eſt ut ſuum generale Placitum in Aurelianis civitate habendum denunciaretur: illucque Hlotharium de Italia, Ludoicum vero de Aquis venire, pariterque cum patre ad conditum Placitum pergere.* Paullo poſt ait, Placitum factum Moguntiae, & poſtea *denuo annunciatum Placitum generale kalendas Septembris Aurelianis habendum*. Anno vero ſequenti DCCCXXXII. pag. 189. *Deinde*, ait Annaliſta, *condictum Placitum kalendas Octobris Lotharius in compendio habuit, ibique epiſcopi Abbates* &c. Anno etiam DCCCXXXV. pag. 191. haec habentur: *Deinde ad Placitum ſuum generale, quod in Stremiaco prope Lugdunum civitatem ſe habiturum*

indi-

indixerat, *profectus est*; *quo in mense Junio babito*, *&* *donis annalibus receptis* &c. Anno DCCCXXXVI. *Tandem mense Septembri ad indictum Placitum Vormatiam venit*. Hi idem conventus vocabantur etiam *Placita magna & generalia*, ut ab ordinariis distinguerentur: cujusmodi exempla suppeditat Cangius in Glossario. Hinc quum in iisdem conventibus querelae & gravamina populorum deferrentur, *placitare* apud nostrates pro accusare in publico & frequenti conventu, & *placitum* pro ejusmodi accusatione usurpatum: quippe diuturna Regum Francorum dominatio suos ritus, & vocabula in Italicas quoque provincias invexit. Quumque in iisdem Placitis generalibus, sive conventibus vassalli munera suis dominis offerrent, ut ait Hincmarus, quod confirmatur ex Annalibus Bertinianis anno DCCCXXIX. DCCCXXXII. DCCCXXXV. DCCCLXIV. DCCCLXIX. & DCCCLXXIV. hinc apud nostrates eadem munera voce & originatione omnino Francica adhuc *Plaïtz* appellantur. & Canonici Aquilejenses, & Forojulienses ex antiquissima consuetudine quotannis in pagos sibi subjectos ad placita generalia proficiscentes ire dicuntur *in Plaïtz*, & *a tener Plaïtz*: quo eodem nomine Galli Placita vernaculo sermone dixerunt, ut videre est apud Cangium in Glossario, ubi etiam *plaitum*, & *plaitare* infimi aevi scriptores usurpasse conspiciuntur. Praecipue vero id agit Capitulum ecclesiae Forojuliensis per Canonicum Judicem,

cem, quem barbaro vocabulo *Gastaldionem* appellant: quo nomine a Langobardis non solum praediorum, villarum, & urbium praefecti, sed etiam qui subjectis populis jura reddebant, judiciisque praeerant, in plebem jurisdictionem exercentes, dicti fuerunt, ut docet eruditissimus Cangius in Glossario. nobiles enim, & vassi dominici non Gastaldionibus, sed Ducibus & supremis provinciarum Praefectis, qui Comites etiam vocabantur, subjecti tantummodo erant; atque inde forte *Gastaldiones tribunos plebis* interpretatur Albertinus Mussatus in libro secundo de Gestis Henrici VII. Imperatoris, rubrica septima pag. 9. *Solliciti insuper*, inquit, *magistratus cum Tribunis plebis*, *quos Gastaldiones appellant*, *duodecimque secretorum conscii* &c. non enim Gastaldiones absque aliorum magistratuum consilio jurisdictionem suam exercebant: quae consuetudo hodieque superest apud nostratium Gastaldiones municipales.

XI. Ejusmodi publicus & generalis conventus dicebatur etiam *synodus*: *mallus* etiam, & *mallum*, unde Papias: *Mallum*, *generale Placitum dicebatur*, *quando totus conveniebat populus ter in anno.* Sane Berengarius Imperator in diplomate anno DCCCCXXI. in urbe Verona Petro presbytero Aquilejensi concesso, necdum edito, ait tunc apud nostrates placitum generale *in praesentia Marchionis*, *qui pro tempore fuerit*, *tribus vicibus in anno* fieri

consuevisse. Inde *mallare*, in jus vocare, nam lingua Belgica sive Teotisca *mellen* est loqui, *mal* loquutio, *maal* colloquium, sermo, ut notat Wendelinus in Glossario Salico; unde *mallus* idem ac Gallis *Parlement*. Anglis olim *meld* erat judicium, ut videre est in Legibus Inae Regis §. XVII. At hi quoque admiserunt vocem Francicam *Parlement*, ab aliquot saeculis admissam etiam a nostratibus Forojuliensibus, qui generale totius provinciae ordinum *mallum* sive conventum ipsi quoque *Parlamentum* dixerunt: quod quidem nullo certo loco olim habebatur, sed erat ambulatorium prout Patriarchae Aquilejensi videbatur vel hoc vel illo loco haberi generalem conventum. Proinde in actis MSS. Colloquia generalia seu Parlamenta habita leguntur Aquilejae, Utini, in Civitate Austria sive in Foro Julii, Glemonae, atque alibi in provincia nostra Carnorum.

XII. Sic per Taxandriam & Hasbaniam factum, ubi multa loca a *mallo* appellata Wendelinus recenset, qui etiam notat anno MCCCI. primum evenisse, ut Parlamentum Parisiense esset *sedentarium, & ad istius exemplum alia quoque Parlamenta suis locis defixa*; quod de nostro verissimum est, licet non ante annum MCCCCXX. in amplissimae urbis Utinensis palatio publico quotannis usque ad nostram aetatem coeperit congregari. Iidem sollemnes & generales conventus *Curiae*, *Curtes*, & *Cortes* etiam

etiam appellabantur, de quibus Petrus de Vineis libro tertio epiſtola prima, quincta, viceſima prima, & ſeptuageſima ſeptima: quae nomina locis ipſis ubi fiebant poſtea inhaeſerunt. Apud noſtrates quidam cenſus, *affitti di Corte* vulgo dicti, qui omni genere tritici, vino, denariis, cera, aromatibus, avibus & quadrupedibus a priſcis uſque generalibus Placitis adhuc ſolvi conſueſcunt.

XIII. *Wadius*, & *wadia* idem ac fidejuſſor in Legibus Langobardicis, Salicis, Alamannicis & Bavaricis apud Cangium in Gloſſario: & *wadiare* ſeu *vadiare* fidejubere pro alio, ſive in vadem ſe dare; unde orta eſt vox Italica *mallevadore*, nempe *mallivadator*, ſeu *wadiator*, in conventu & judicio fidejuſſor: cujus vocis originationem dimidiatam duntaxat expoſuit Octavius Ferrarius, & aliunde perperam derivavit Aegidius Menagius, uterque in Originibus linguae Italicae; quia ſcilicet procul a ſermone barbarico eam deduci putaverunt. ex quo aperte colligitur eos falli & quoſcunque in ſola literarum commutatione vocum Italicarum origines exſpiſcantes; quum nemo ſatis eas, quae latinae non ſunt, unquam adſequi valeat ſine cognitione linguarum ſeptentrionalium, quibus unis linguae Italicae ortus acceptus referri debet; illae enim ſuis dialectis, & vocibus latinum idioma corrumpentes Italicum idem noſtrum oriri fecerunt. Atque haec dicta ſint occaſione *Campi Maii* ſive

Gg ij comi-

comitiorum, quae ad Duriam congregavit Carolus Magnus, ad ſubigendos imperio ſuo Saxones perrecturus: quae comitia licet *Campi Maii* cognomento indigitata fuerint, quum non ideo tamen recte inferatur ea non alio menſe quam Majo congregata fuiſſe, dum potius Auguſto, Septembri, aut Octobri congregari conſueverunt, ut ex Hincmaro & Annalibus Bertinianis clariſſime patuit; propterea, intemerata annalium fide, necnon ſinceritate diplomatis die viceſima ſexta Junii in Cariſiacenſi villa conſcripti, ruit quicquid Germonius ad illud convellendum excogitavit.

CA-

CAPUT XII.

Diplomata sine die, mense, & anno aliquando concessa. Gisla sanctimonialis soror Caroli Magni interdum egressa ex parthenone Kalensi. Paulinus Patriarcha Aquilejensis primus omnium vetuit virgines Deo dicatas e monasteriis exire. Quatuor epochae Caroli Magni. Ex unis chronologicis notis diplomata non continuo rejicienda. Difficultas ex notis chronologicis Concilii Tridentini duplici stilo conscriptis. Error in editione Coloniensi. Alia difficultas ex subscriptione Bullae Pii IV. pro confirmatione Concilii.

I. Eugepae jam tandem post emensum tot rerum a Germonio congestarum, plus aequo molestum examen, ad optatissimum earundem finem perveni, & terram video, proximus ad pedem inde lubentissime extrahendum, quo pene invitus illum intuleram: quanquam & hic nos irretire conetur Germonius, dum adgreditur praeceptum alterum Caroli Magni datum *mense Octobris anno* XIIII. *&* VIII. *regni* ejus, nempe

nempe anno vulgari DCCLXXXIII. *Hariſtalio palatio publico* pro confirmatione commutationis quorundam praediorum initae inter Fulradum abbatem Sandionyſianum, & Euphemiam abbatiſſam ſancti Petri in urbe Metenſi. In primis vero Diſceptator horret *ſtili barbariem & menda, quibus praeceptum illud ſcatet*; quaeque illi *non ſapiunt Caroli Magni aetatem, qua literae & bonae artes reviviſcere coeperunt*. Haec cenſura quanti fieri mereatur, ex iis quae alibi diximus quisque facile cognoſcet; quare iisdem rebus iterum immorari non eſt operae pretium. Ex notis chronologicis, chartae falſitatem etiam convinci putat, quia *annus tantum & menſis, non dies, quo illud factum eſt* exprimitur; quem tamen in *ejusmodi chartis omitti nec leges nec conſuetudines Francorum ſinebant*; ſi ipſi quidem credimus.

II. Quia nullas tamen leges & conſuetudines ſpeciatim adducit, ejus verba ſecuriori vade penitus deſtituta tanti non facimus, ut in eadem jurare debeamus. quippe ſi hoc forte fortuna contingeret, actum eſſet de universa re diplomatica & antiquaria. Licet maximo errori, a quo Germonius occupatur janpridem debito antidoto Mabillonius occurriſſet libro ſecundo capite duodeviceſimo num. IV. exhibens varias diplomatum ſubſcriptiones, in quibus annus & menſis adpoſitus eſt, ſed non dies; nihilominus eodem poculo quo paradoxa reliqua hauſerat

Diſce-

Disceptator etiam hoc haurire voluit. Apud Petrum Perardum pag. 34. prostat diploma cum hac subscriptione: *Data in mense Februario anno* XXVIII. *regnante domno nostro Carolo Rege*; & sic fere passim apud eundem Perardum. Aliquando solus annus Regis absque mense & die exprimebatur, ut patet hujusmodi exemplo apud eundem Perardum pag. 35. *Facta notitia in anno* VII. *regnante domno nostro Ludovico Imperatore*. Interdum neque annus Regis diserte signatur: *Actum Floriaco tempore reverendi Lamberti abbatis regnante Rodulfo*. Denique & sine ulla nota chronologica, ut fidem faciunt innumerae ecclesiarum tabulae apud Perardum jam inde a saeculo duodecimo ad decimum tertium. Alia etiam exempla congerit Mabillonius, observans apud Alamannos initam fuisse chartam sine die & anno ex eorum Legibus capite altero & quadragesimo, non secus atque apud Romanos sine die & Consule. At apud Francos id nusquam lege cautum exempla demonstrant. Verum quidem est, aliquando Lotharium Imperatorem sanxisse, ut scripta sine mense & die nullius essent vigoris, quia auditu compererat *in finibus Tusciae talia scripta esse prolata, quae erant absque mense & die mensis*, ut habetur in Legibus Langobardorum libro tertio tit. XXXVIII. apud Lindenbrogium pag. 690. & in tomo secundo Capitularium col. 341. sed hoc forte intelligendum de scriptis privatis, in quibus nulla nota apparebat; unde

unde ad vim auctoritatis habendam vera esse discerni possent; non de scriptis publicis, ut sunt Diplomata, in quibus praeter diem & mensem, multae insuper notae apparere solent. Praeterea certis de caussis haec lex pro sola Tuscia condita est, neque ante Lotharium quicquam simile uspiam sancitum.

III. Chartam, qua Gisla seu Ghisela soror Caroli Magni monasterio Sandionysiano multa praedia largitur, subinde falsitatis Germonius insimulat, quia dicitur: *Data Aquisgrani idibus Junii anno regni Caroli Magni* XXXI. *&* XXXVI. nempe anno DCCXCI. subscribente ipsa Ghisela, Carolo, Pippino, & Ludovico Caroli Magni filiis apud Mabillonium libro quincto pag. 389. & libro sexto pagina 503. quos tamen tunc Aquisgrani fuisse in dubium revocat Censor. Et quidem Ghiselam in monasterio a puellaribus annis usque ad mortem vixisse opinatur ex his verbis Eginhardi in vita Caroli Magni apud Duchesnium tomo altero pag. 100. *Erat ei unica soror nomine Gisla a puellaribus annis religiosae conversationi mancipata, quam similiter ut matrem coluit pietate, quae etiam paucis ante obitum illius annis in eo, quo conversata est monasterio decessit.* Verum hinc arguere virginem regiam, quam anno DCCLXX. Adalgisus Desiderii filius in conjugem expetiverat, perpetuo intra monasterii septa vixisse eo prorsus pacto, quo sequiori tempore puellae Deo dicatae jugiter vivere coepe-

coeperunt, idem eſt atque recentiores conſuetudines & ritus cum vetuſtioribus confundere. quippe ſanctus Paulinus Patriarcha Aquilejenſis, ſaltem apud noſtrates, videtur primus omnium in canone duodecimo Concilii Forojulienſis, anno nonageſimo ſexto ſupra ſexcenteſimum ex Pagii epiſtola ad Nicaſium, celebrati, apud Labbeum tomo ſeptimo col. 1007. *Monaſteria puellarum*, *quae ſub diſciplina regulae* degebant, *obſtructius munitis clauſtris*, *nulli* virorum aditui patere voluiſſe, niſi *ſumma compellente neceſſitate*. Ad haec ſanxit ut nullo unquam tempore *Abbatiſſae vel cuilibet monachae quaſi orationis cauſa Romam adire*, *vel alia loca venerabilia circuire* liceret. ex quo patet ante hoc Concilium vetitum non fuiſſe virgines e monaſteriis exire: quanto magis autem regiae puellae, ut erat Chiſela, pro ejus arbitratu ex parthenone Kalenſi egredi conceſſum fuerit?

IV. Non ita ac Germonius de Ghiſelae ſeceſſu ſentit Theodulfus Aurelianenſis. nam auditis contra Hunnos ſeu Avares rebus a Pippino filio Caroli Magni, & ab Henrico ſive Erico Duce noſtro Forojulienſi feliciter geſtis anno DCCXCVI. eidem Carolo adhuc Aquisgrani moranti prolixum carmen inſcripſit, in quo victoriam de Hunnis ei gratulatur; & regium comitatum deſcribit incipiens a regia familia, nulla mentione facta utriusque Pippini, quia neuter erat in patris comitatu; ſeniore in

monasterium Prumiense detruso; juniore in Pannonia cum exercitu degente. Attamen non ita egit de Ghisela, de qua diserte loquutus est, licet dubius an tunc revera esset cum fratre Carolo: ex quo apparet nonnunquam regium comitatum ipsam adiisse ex Kalae coenobio in agro Parisiensi, ubi Marsiliae Abbatissae in administrationem successit. Quod si semel ingressa nunquam deinde e monasterio exiisset, utique Theodulfus eam silentio praeteriisset. En ejus verba ad eandem Ghiselam spectantia ex libri tertii carmine 1. in tomo secundo operum Jacobi Sirmondi pag. 1064. vers. 109.

Quod si forte soror fuerit sanctissima Regis,
Oscula det fratri dulcia, frater ei.
Talia sic placido moderetur gaudia vultu,
Et Sponsi aeterni gaudia mente gerat.
Et bene scripturae pandi sibi compita poscat,
Rex illam doceat, quam docet ipse Deus.

Fuit enim Ghisela rerum sacrarum studiosissima Alcuino praeceptore usa, qui ei gratificaturus exposuit euangelium sancti Johannis.

V. Quod Ludovicus, quem in Hispaniam missum, necdum reversum eodem anno sine teste scribit Germonius, licet omnes *Historicos veteres* generatim sibi adsentientes appellet, tunc reapse Aquisgrani moraretur, ex Astronomo qui Ludovici vitam conscripsit eruitur. postquam enim res anno DCCXC. in Aquitania gestas enarrasset, haec pro-

proxime ſubjungit apud Ducheſnium tomo altero pagina 289. *Anno ſequente* (nempe DCCXCI.) *patri Regi Rex Ludowicus Ingelnheim occurrit*; *inde Renesburg* (nempe Regenesburg, ſeu Ratisponam) *cum eo abiit*; *ibique enſe, jam appellens adoleſcentiae tempora, accinctus eſt: ac deinde patrem in Avares exercitum ducentem uſque ad Chuneburg comitatus, juſſus eſt reverti, & uſque ad reverſionem paternam cum Faſtrada manere Regina. Itaque cum ea hiemem exigit imminentem, patre in expeditione coepta permanente.* Quare ſi Ludovicus hoc anno DCCXCI. comitatus eſt patrem ſuum Carolum Magnum contra Hunnos copias ducentem; cur idibus Juniis ante expeditionem una cum ipſo Aquisgrani eſſe non potuit? Quod ſimiliter Pippinus hoc eodem anno ex Italia reverſus fuerit contra Hunnos iturus, omnes conſentiunt, & prae aliis Annaliſta Loiſelianus ex editione Caniſii apud Ducheſnium tomo ſecundo pagina 37. his verbis: *Exercitus, quem Pippinus filius ejus de Italia tranſmiſit, introivit in Illyricum, & inde in Pannoniam.* Ante hanc vero tranſmiſſionem, Pippinum cum patre Carolo Aquisgrani de rebus agendis decreviſſe, nemo jure negare poterit. Immerito ergo Germonius fidem inſtrumenti a Ghiſela, Carolo, Pippino, & Ludovico ſubſcripti, atque a Mabillonio vulgati in libro ſexto pag. 503. elevare nititur, quaſi iidem tunc non fuerint Aquisgrani.

VI. Edidit Mabillonius ibidem pagina 504. unum & alterum diploma Caroli Magni, quorum primum Anniano abbati datum eſt Francofurti *tertiodecimo kalendas Auguſtas anno* XXVI. *&* XX. *regni* ejus, nempe anno DCCXCIII. Alterum vero Theodoldo Comiti datum eſt *Aquisgrani pridie Aprilis anno* XXVIIII. *&* XXV. *regni* ejus, nempe DCCXCVII. Utrunque ſuppoſiticium Diſceptator appellare non dubitat, quia in priori illo regnum Franciae praecedit annis *ſex* regno Italiae, in altero *quatuor*, in aliis *quinque*. Etenim Carolus Magnus Pippino patri ſucceſſit menſe Octobri anno DCCLXVIII. & Langobardorum Regnum obtinuit anno DCCLXXIV. menſe Majo. At non valde feliciter ſe in re chronologica verſatum prodit Germonius dum ignorat, primam diem, qua quis novum regni annum init, haberi & numerari pro anno integro. Sic die hac viceſima tertia Novembris anni MDCCIV. qua his tricis jam ab elapſo menſe Julio inceptis, & ſemel atque iterum ob varias occupationes procul abjectis, & valere permiſſis, ego finem impono, celebrantur ſollemnia auſpicatiſſima anniverſariae inaugurationis CLEMENTIS XI. maximi optimique Pontificis: & jure in inſtrumentis & tabulis hac ipſa die ſignatis ſcribitur annus quinctus (licet hac die ſolum incipiat) perinde ac ſcribetur die viceſima ſecunda Novembris anni proximi a kalendis Januariis initium ducturi. Eorundem diplomatum ſex annorum intercapedo

capedo a regno Francico ad Italicum, innumeris inſtrumentis probatur; & praecipue charta XCIX. apud Goldaſtum tomo ſecundo rerum Alamannicarum pagina 58. in qua tres epochae Caroli Magni hoc modo ſignantur: *Datum quod fuit menſis Martius dies octo anno* XII. *Chriſto propitio imperii domni noſtri Karoli*; *&* XLIIII. *regni in Francia, adque* XXXVIII. *in Italia, indictione* III. *in Dei nomine feliciter*.

VII. Sed alia annorum ratio obſervatur in nonnullis Caroli Magni diplomatibus, ubi anni regni Francici quadriennio tantum regni Langobardici annos excedunt, cujus generis diplomata ea ſunt, quae Germonius diſcerpit, quia illis congruere non vidit calculum regni Francici & Italici. Et tamen in iisdem nullum omnino falſitatis ſignum apparet. Dicendum quippe eſt Carolum Magnum anno DCCLXVIII. ſtatim poſt VIII. kal. Octobres, quo die obiit Pippinus, univerſum regnum Francorum non obtinuiſſe, quia nondum objerat Carolomannus frater ejusdem Caroli, qui obiit Salmunciaci pridie nonas Decembres anni DCCLXXI. ex Cointio ibidem num. LXII. quum regnaſſet a Pippini parentis obitu annos tres, menſes duos, dies decem: quo eodem anno Carolus Magnus novam epocham injens adeptus eſt univerſam Francorum monarchiam, parte illa regni Neuſtraſiani ad Carolomannum olim ſpectante, completam, ubi erat Comes Theodoldus, quem

quem Carolus Magnus anno XXVIIII. & XXV. crimine laesae majestatis absolvit diplomate quod edidit Mabillonius pagina 504. in quo regno Neustriano ad Carolomannum spectante erat monasterium Centulense, cujus Abbati Angilberto idem Carolus anno XXVIIII. & XXV. dedit diploma editum Saeculo quarto Benedictino parte prima pagina 102. Quare si non tres tantum, sed quatuor epochas in diplomatibus Caroli Magni signatas animadvertisset Germonius, credendum est illum abstinere debuisse a rejiciendis tanquam spuriis privilegiis illis, ob quorum epocham sibi ignotam ea in suspicionem falsitatis vocavit.

VIII. A recto autem Germonius deflectit ubi ait epocham regni Italici in diplomate libri sexti pagina 498. cujus subscriptio haec est: *Data sexto kalen. Julias anno septimo & secundo regni nostri*, nempe anno DCCLXXV. atque in charta Ghiselae superius memorata, idibus Juniis anno XXXI. & XXVI. nimirum DCCXCI. conscripta, distare ab epocha regni Francici annis tantum quinque. quis enim non videt annis sex, & non quinque distare, si ab Octobri anni DCCLXVIII. ad Majum anni DCCLXXIV. numeramus? Omni ergo antiquitate reclamante, genuina diplomata ex male perceptis chronologicis notis evertere studet Germonius: in quibus notis licet aliqua apparerent, quae ad concordiam redigi difficulter possent; non ideo tamen ex iis unis adminiculis

niculis instrumentorum fides jure abroganda esset; quum in plerisque ad barbari aevi chronologiam pertinentibus, nobis non innotescant veteres consuetudines & stili vulgares atque forenses in annorum serie subducenda: in quam sententiam mecum venire religiosissimum virum Josephum Mariam Thomasium, in penitiori ecclesiastica antiquitate summa cum laude versatum, quem honoris caussa nomino, haud semel in colloquiis familiaribus deprehendi; in cujus rei argumentum observationem unam & alteram ab eo mihi humanissime indicatam, hic lubet adscribere ad ostendendum quam ludicre agant qui ex unis notis chronologicis sibi non constare deprehensis, vetera instrumenta explodere audent.

IX. In Concilio Tridentino primae editionis Romanae per Paullum Manutium anni MDLXIV. Sessio XXV. dicitur coepta *die tertia*, absoluta *die quarta Decembris* MDLXIII. qua Sessione clausum fuit Concilium. Ex bulla Pii IV. primae editionis cameralis per Antonium Bladum apparet post reditum Legatorum e Concilio eundem Pontificem confirmavisse decreta Concilii: *In consistorio nostro secreto*, inquit, *illa omnia & singula auctoritate Apostolica* HODIE *confirmavimus*. Et in fine: *Dat. Romae apud sanctum Petrum anno incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, septimo kalen. Februarii* &c. Negotium facessebat

ſcbat Thomaſio, Concilium abſolutum fuiſſe *die quarta Decembris anni* MDLXIII. atque idem Concilium confirmatum fuiſſe die viceſima ſexta Januarii ejusdem anni MDLXIII. undecim ſcilicet propemodum menſes priusquam abſolveretur. Sed Johannes Ciampinus omnem difficultatem Thomaſio ſuſtulit animadvertens in actis Concilii communem ſtilum annorum vulgarium ſervatum; in tabulis vero Cancellariae Apoſtolicae, ad quarum normam data eſt bulla Pii IV. annos non a Nativitate, ſed *ab Incarnatione* inchoari, nempe a Martio; & proinde Januarius anni vulgaris MDLXIV. in Concilio ſervati, ex ſtilo Cancellariae Apoſtolicae in bulla Pii IV. adhuc erat anni MDLXIII. qui annus proximo Martio finiebatur. In Concilio Tridentino editionis Colonienſis anni MDLXXXVII. bulla Pii IV. dicitur data anno *milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quarto*; ſcioli nempe alicujus audacia, qui ſtilum Romanum ignorans, ne Concilium confirmatum videretur aliquot menſes antequam abſolutum fuiſſet, eundem annum inepte emendare ſeu verius corrumpere auſus eſt. At verus & legitimus annus, qui eidem bullae Pii IV. adpoſitus fuit, ex jam dicta editione Romana camerali luculenter apparet, ubi non numeris, ſed literis exprimitur hoc pacto: *Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio*. cui anno poſteriorum editionum curatores inhaerere, & non illum temere corrigere debuiſſent.

X. Aliam

X. Aliam praeterea hac longe graviorem difficultatem Thomasius Ciampino excitavit, unde uterque ad incitas pene redactus est. quia nempe eidem bullae Pii IV. pro confirmatione Concilii in Consistorio secreto die vicesima sexta Januarii inter ceteros Cardinales subscribit *A. Card. Farnesius Vicecanc. episc. Sabinen.* & nihilominus in attestatione ejusdem confirmationis legitur: *Nos Alexander sancti Laurentii in Damaso Diaconus Cardinalis de Farnesio S. R. E. Vicecancellarius fidem facimus qualiter hodie die Mercurii* XXVI. *Januarii* MDLXIIII. .... *in Consistorio secreto* &c. Ex quibus locis videtur unus idemque Cardinalis Farnesius eadem die subscriptus *Diaconus Cardinalis*, & *Episcopus Sabinensis*: quod tamen fieri non potuit etiansi in illo eodem consistorio a Diaconia sancti Laurentii in Damaso ad Episcopatum Sabinensem transiisset; quippe tam bulla, quam attestatio statim post Consistorium scribi debuerunt. Profecto si haec ad aevum Caroli Magni spectarent, continuo veterum tabularum censores bullam Pii IV. inter commenticias merces rejicerent, & mitiores critici tutius effugium reperire non possent, quam affirmare duos Alexandros Farnesios Cardinales una eademque die sacro Collegio interfuisse; utrunque Ecclesiae Romanae Vicecancellarium, sed unum Diaconum sancti Laurentii in Damaso, alterum vero Episcopum Sabinensem. Sed acta Consistorialia, ut vocant, quan-

cunque obſcuritatem & dubitationem tollunt. in iis enim ſcriptum eſt, Cardinalem Farneſium aliquot menſes poſt confirmationem Concilii in Epiſcopum Sabinenſem electum fuiſſe: quare ideo in atteſtatione ſe appellat Diaconum, quia reapſe tunc erat *Diaconus*; ſed quia bulla ſtatim non fuit ſubſcripta, aut ſaltem Cardinalibus ad ſubſcribendum tradita; ubi primum poſt aliquot menſes id contigit, jam Cardinalis Farneſius erat *Sabinenſis Epiſcopus*: quo quidem titulo ſe ſubſcripſit ex ſtilo Curiae, ut vocant, licet bulla data appareat illa die qua peracta fuit adprobatio Concilii, non autem ea, qua ſingulae Cardinalium ſubſcriptiones exaratae fuerunt: ex quo obſcuritates illae oriuntur, quae nunquam diſſipari potuiſſent ab homine ignaro conſuetudinis, & ſtili Curiae Romanae. Hinc ergo videat Germonius quam merito ſuis conjecturis tantum tribuat, ut eas adverſus diplomatum auctoritatem ſufficere nullus dubitet; unde omnium fidem vacillare pro certo habet; atque artem diplomaticam a Mabillonio inſtitutam funditus ruere.

X. Hactenus excuſſi brevius qua fieri potuit conjectationes & argumenta, quibus Bartholomaeus Germonius vir ſane eruditus & ingenio praeditus univerſis ſequiorum temporum monumentis fortaſſe aliud agens, bellum indicere ſibi uni licere putavit; unde ex tot chartis antiquitatis teſtibus fidiſſimis ſecum invicem collatis aperte intelleximus in miros

para-

paralogismos incaute delapsum non magnae laudis famam subjisse, dum novas sententias parturiens, eorum judicio contempto, qui in rebus cognoscendis, atque tractandis studium suum omne posuerunt, contentionis, ut videtur, quam veritatis cupidior, omne antiquitatis pondus subvertere conatus est: hocque si non ex proprio, utique ex saeculi genio, quo Reipublicae literariae honoribus & muneribus perfunctos clarissimos viros ad imparem luctam hinc inde lacessitos conspicimus; & res sacras nedum profanas omnium aetatum memoria, & sapientum consensu roboratas, quaquaversum laniari a recentioribus criticis, & convelli videmus. Criticam etenim artem, qua nihil admirabilius ad literas & disciplinas omni faece purgandas inveniri unquam potuit, in earundem perniciem & pestem ipsi consilio praepostero immutare non dubitarunt. Et quidem nostris hisce temporibus non defuit Germonii ejusdem praecursor, & forte etiam subsidiarius, qui universam Graecam & Romanam antiquitatem Gallicum monachorum saeculi undecimi commentum & imposturam esse scriptis suis tradidit; atque ejus rei testes Gallicismos, idest loquendi modos Gallicis similes, ab iisdem monachis insertos, passim occurrere animadvertit. De his sane olim docte admodum disputaverat Henricus Stephanus in Expostulatione de latinitate falso suspecta; sed plane diverso consilio atque egit ille Germonii praecursor, sive

magister; siquidem Stephanus ex iisdem Gallicismis linguae suae cum Graeca & Latina consensum digito ostendit, dum eodem ac Gallos loquendi genere Thucydidem, Ciceronem, Livium, aliosque usos docuit: quod amplius & facilius Itali de sua docere possent; quemadmodum in plurimis olim praestitit Angelus Monosinius eleganti volumine, quod Flores Linguae Italicae nuncupavit. Quare ne in rebus ubi minime oportet, longior sim, novarum hujusmodi opinionum apparatum & vim omnem facile quis repellere poterit, si unum & alterum Virgilianum carmen adduxerit:

Hi motus animorum atque haec certamina tanta
Pulveris exigui jactu compressa quiescent.

Finis Libri Secundi.

AP-

APPENDIX

Acta vetera nunc primum vulgata complectens,

De quibus sit mentio

IN VINDICIIS ANTIQUORUM DIPLOMATUM.

I.

NOTITIA PRIVATA.

Ex autographo Tabularii ecclesiae Forojuliensis. *Ad pag.* 41.

ANNO Dominicae Incarnationis
MCLXIII. Indictione XI. Breve me-
moriale, quod Folco dedit Domi-
nae Gerlint omnia sua propter
pretium 1 in mane quando surrexit 1
de lecto, protulit ei quidquid ad
suum dominatum pertinebat, sci-
licet Gelgian, & Gazal, & Vin-
gial taliter dedit ei, ut si quis inju-
riam fecerit, poena constituta decem marcharum aurea-
rum; & insuper habere quae supradicta sunt. Potestatem
habere quidquid vellet facere, sive pro anima, vel here-
dum suorum firmam, & ratam potestatem habere omnia
quaecumque voluerit facere de suo proprio, faciat. Hujus
rei testes sunt Cworadinus de Civitate, & Ottaccus, Tho-
mas Praepositus & Vicedominus, & nobilis Duratius,
Walterus, & Cworadus Canonici, Cacib, & Dinicus
filius ejus, Cacilg de Muimaco, 2 Wodalricus de Por- 2
tis,

tis, Wodoricus, Crilg, & Dietricus, Wolframus, Artuicus, Maraldus, & Duno, Rainerius, Karle, Adalpertus, Gerardus de Fontana, & etiam complures. Insuper isti sunt, qui dederunt tenutam ex jussu domini Folco, Andreas, Meignardus filius ipsius, & Marald, & Johannes pater supradictae Dominae. Haec carthula fuit facta III. kalen. Febr. subtus folium magnum de 3 Civitate feliciter. Amen.

3

Ego Arpo Judex, & Notarius sacri Domini Imperatoris manu mea subscripsi.

NOTAE.

1 Pretium in mane. *Baluzius in notis ad Capitularia tomo secundo col.* 992. *observat, in aliis chartis* donum matutinale *appellari, quod mane seu matutino tempore diei noctem nuptialem subsequentis, quem diem* votorum *dixerunt, sive ante nuptiale convivium, ut ait Vossius in libro altero di Vitiis sermonis capite duodecimo pag.* 247. *sponsae offerebatur, quasi pretium virginitatis sive nuptiarum, ex Benedicto Carpzovio in libro de juribus feminarum pag.* 197. *Vocabulo autem* Germanico *atque Saxonico dicitur* margengap *in legibus Langobardorum atque alibi, nempe* donum matutinale. *Ab aliis* morgengeba, morganagiba, morganatica *ex Vossio. Erat autem donum voluntarium modo majus, modo minus, prout quisque amore & caritate erga conjugem ferebatur, unde &* morgengab gratuita donatio *appellatur in legibus Langobardorum libro secundo titulo primo* §. VIII. *Quum vero nonnulli uxorum blanditiis illecti profusam liberalitatem in eas exercerent, Rex Langobardorum Luitprandus lege cavit, ne quis in* morgengap *uxori tribueret supra quartam partem bonorum suorum, in legibus Langobardorum libro secundo titulo quarto* §. 1. Morgengap volumus, ut non sit amplius, nisi

nisi quarta pars de ejus substantia, qui ipsum morgengap dedit. Siquidem minus dare voluerit de rebus suis quam quarta portio sit, habeat in omnibus licentiam dandi quantum voluerit. nam super ipsam quartam portionem dare nullatenus possit. *Hinc Papias in Vocabulario*: Morgengap, idest quarta pars in lege Langobardorum. *Et sane undecimo saeculo obtinebat, ut quarta tantum pars donaretur, quod patet ex charta Casauriensi apud Cangium in Glossario, & ex aliis apud Augustum Gallandium in tractatu de Franco allodio pag.* 313. *In hac autem nostra Forojuliensi id minime servatum, quum Folco uxori suae Gerlint dono dederit non* quartam partem, *sed* quicquid ad suum dominatum pertinebat.

2 Wodalricus de Portis. *Inter illustres Italiae familias, quae ab antiquissimis temporibus proprium gentilicium cognomen habuerunt, hanc praenobilem de Portis accensendam puto. quum enim saeculo tantum undecimo ineunte cognominum usum, saltem apud suos, frequentari coepisse doceat Mabillonius de re Diplomatica libro secundo capite septimo pag.*92. *& quum plerique nobiles a locis vel dominii sui hereditarii, vel usufructuarii, vel incolatus, vel undecunque, cognomentum acceperint, in actis notariorum exprimendum, mutatis locis & sedibus, facile fuit cognomina ipsa immutari, nec statim fixa & propria fuisse. At haec nostra familia* de Portis *semper hoc suum cognomentum retinuit non secus ac veteres & Tribuniciae, quas vocant, familiae Venetorum, quae omnium Italicarum & exterarum in cognominibus fixis perpetuo usurpandis antiquissimae habentur, ut apparet ex diplomate anno* DCCCCLXXXII. *confecto apud Ughellum tomo quincto col.* 1272. *quod fugit Mabillonium, & Papebrochium tomo quarto Maii pag.*12. *ubi & ipse de hujusmodi cognominibus egit.* 2

3 De Civitate. *Urbem Forum Julii, quae fuit caput ejus partis regni Italici, quam* Austriam *Langobardi ap-* 3

pel-

pellaverunt, dictam fuisse Civitatem Austriam, *& antonomastice* Civitatem, *ostendimus olim in Dissertatione nostra Italica de Masnatis aliisque servis more Langobardorum pag.24. idque amplius patet etiam ex hac charta.*

II.

NOTITIA PUBLICA.

Ex Tabulario Aquilejensi.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Anno Dominicae Incarnationis millesimo centesimo septuagesimo quarto Indictione VII. quinta die mensis Januarii in Castro de Obremburg. Nos quidem Wolricus Dei gratia sanctae Aquilegensis ecclesiae Patriarcha, & Apostolicae Sedis Legatus de controversia, quam dilectus frater noster Richerius Bellinienfis Abbas pro ecclesia sancti Pancratii de Graz more antecessoris sui Bertoldo Saunensi Archidiacono habebat, diligenter cognovimus, quae utique talis erat. Dicebat enim Abbas, quod praedicta Ecclesia sibi de jure foret expedita, & quod idem Archidiaconus quatuordecim sibi marchas dare teneretur, & insuper officii sui periculum incurrere deberet: & haec ideo, quod ea, quae inter antecessorem ipsius, & eumdem Archidiaconum prius statueramus, & in scriptis redegeramus, minime observaverat. Archidiaconus vero dicebat, quod tum ex persecutione, quam a
1 Marchione Ystriae nomine 1 Pertoldo, & ab aliis sustinebat, tum etiam ex nimia paupertate, praedicta complere nequiverat, & misericordiam petebat. Nosque securitate per interpositionem fidei ab ipsis recepta, ita quod mandatis nostris in hac parte absolute obedirent, eamdem controversiam consilio fratrum nostrorum sic decidimus.

Prae-

Praefato ſiquidem Archidiacono Eccleſiam ſancti Pancratii ab Abbate inveſtiri fecimus eo tenore, ut ipſe duas marchas argenti nomine cenſus annuatim in Purificatione beatae Mariae Abbati, & ejus monaſterio perſolvat. Archidiaconus vero propterea eandem Eccleſiam Abbati refutavit, itaut ſi debitum cenſum ſtatuto tempore monaſterio ejus non perſolverit, ipſa Eccleſia ſit Abbati expedita, & eam cui voluerit abſque omni contradictione committat. Pro ſubjectis etiam marchis Abbati vadiari fecimus, pro quibus Piligrinus Civitatenſis Praepoſitus fidejuſſor eſt conſtitutus, itaut ſi uſque ad proximam Dominicam, qua cantabitur *Reminiſcere* ſibi perſolutae non fuerint, ipſe Praepoſitus in bonis ſuis auctoritate noſtra pignoret. Ad haec Archidiaconus in manu noſtra ſub fidei ſacramento promiſit, quod omnia, quae ab eadem Eccleſia alienavit, uſque ad proximum feſtum ſancti Johannis Baptiſtae expediet, & eidem Eccleſiae reſtituet: quod ſi non fecerit tam de violatione fidei, quam de dilapidatione Eccleſiae reus teneatur, & judicetur. In his autem ſeveritate juris decidimus, ut ſenectuti, & neceſſitati Archidiaconi conſulamus. Quod ut verius credatur, & firmius obſervetur, hanc paginam item conſcribi, & ſigillo noſtro inſigniri fecimus. Interfuerunt fratres noſtri Gerardus Concordienſis Epiſcopus, praefatus Praepoſitus, Leonardus Concordienſis Canonicus, Henricus Plebanus, Michael de Juri, Comes Henricus de Hortemburch, Weriandus de Hoenburch, Wolricus de Plawin.

Ego Romulus Aquilegenſis Notarius.

NOTA.

PErtoldus *ſive Bertoldus, qui etiam Berchtoldus, ex alio Bertoldo & ex filia Regis Daniae ortus, fuit ex* 1

Kk *Duci-*

Ducibus Meraniae, male ab aliquibus Moraviae *dictis, in Tyrolensi Comitatu ad Athesim fluvium: qui iidem erant ac Comites Andecenses, & Diessenses sive Dyezzenses in Bavaria superiori, Palatini Carinthiae, & Goritiae Comites in Forojuliensi provincia. Idem Bertoldus anno* MCLXXX. *cum titulo* Marchionis Istriae *subscripsit constitutioni Friderici I. Imperatoris apud Goldastum tomo* 1. *Constitutionum Imperialium pag.* 285. *& anno* MCLXXXIII. *diplomati ejusdem Friderici pro ecclesia Lunensi dato Constantiae, apud Ughellum tomo primo col.* 914. *Fuit frater beatae Mathildis virginis, de qua in tomo septimo Maii Bollandiani pag.* 442. *idemque ex conjuge Alix filia Teconis Marchionis Misniae in Saxonia genuit Ekenbertum Bambergensem episcopum, Bertoldum Colocensem archiepiscopum, ab aliquibus perperam* Coloniensem *dictum: qui deinde fuit Patriarcha Aquilejensis; Ottonem Meraniae Ducem; Henricum Istriae Marchionem; Gertrudem Andreae Regi Hungariae nuptam, ex quibus orta est sancta Elisabeth Lantgravia Thuringiae; sanctam Hedwigem Henrici Poloniae & Silesiae Ducis uxorem; atque Agnetem, male ab aliquibus* Mariam *appellatam, quam Philippus II. Rex Francorum superinduxit, repudiata Ingeburge filia* W*aldemari I. Regis Daniae: qua de re David Blondellus in libro de Formula* regnante Christo *pag.* 331. *Albericus in Chronico sub anno* MCXCVI. *pag.* 407. *omnium accuratissime recenset hanc prolem Bertoldi, unde castigari possunt errores Lazii in Commentariis libro* XII. *sect.* VI. *cap.* 1. *Marchionatus Istriae hoc tempore spectabat ad ecclesiam Aquilejensem; cujus nomine Bertoldus illi praeerat, qui obiit anno* MCCIV. *ex Henrico Sterone in Annalibus apud Canisium tomo primo pag.* 244.

III.

III.

DIPLOMA OTTONIS I.
Imperatoris.

Ex autographo Massejano.

Ad pag. 49.

IN nomine Domini Dei aeterni. Otto Divina favente clementia Imperator Augustus. Domini Jesu Christi Ecclesias sub nostro Imperio constitutas Imperialis providentia in pristinum renovando auctorem suum sibi conciliet, ne forte in posterum de negligentia pro sui merito condempnetur. Ideoque universorum sanctae Dei Ecclesiae, nostrorumque fidelium praesentium videlicet ac futurorum industria noverit, Petrum reverendum sanctae Volaterrensis ecclesiae antistitem nostram suppliciter adiisse praesentiam, suaeque ecclesiae varias a nonnullis occupationes, invasiones, atque diminorationes tam sub occasione libellorum, quamque etiam diversis superfluisque violentiis in rebus, seu familiis contra Dei ac nostram voluntatem illatas lacrimosis querimoniis intimasse, ferentem prae manibus augustalia divae memoriae piissimorum Imperatorum Lodovici, & Karoli, Berengariique, seu Hugonis, & Lotharii praecepta de integritate, atque immunitate, & perhenni suae Ecclesiae tuitione priscis suis praedecessoribus emissa, quae vi rumpere pervasores pertinaci animo non timuerunt. Quapropter nostrum super hac causa munimentum supplex postulavit, quo istiusmodi Dei contemptores aut corrigantur, aut legaliter judicentur. Nos igitur divino primum inflexi amore, deinde supranominati episcopi continua in nostrum obsequium devotione; omnes jam dictae Ecclesiae possessiones a quibuscumque hactenus

occupatas undecumque, & quomodocumque a suis Rectoribus iuste, & legaliter adquisitas, aut in antea, Deo auxiliante adquirendas, cum omnibus intrinsecus, & extrinsecus casis, & familiis diversi sexus, & aetatis, atque conditionis, carrucariis, libellariis, aldionariis, & cunctis rebus tam mobilibus, quamque & immobilibus cum pertinentiis, & adjacentiis, omnique integritate sua in nostrum mundburdum, & perpetuam Imperialis providentiae tutelam recepimus, confirmantes eas, & per hoc nostrae constitutionis Imperiale praeceptum praedicto Petro venerabili episcopo, ejusque in perpetuum successoribus canonico ordine habendas, regendas, ac perfruendas, omnium quique degunt sub imperio, aut futuri sunt invasione, deminoratione, atque violentia ab eodem sancto episcopio, vel ipsius administratoribus penitus abdicata. Super haec volumus, & expresse statuimus, ut universae praedecessorum suorum donationes, praestationes Precariorum, seu libellorum, atque Vicariorum conscriptiones, quae irritae, & supervacuae, atque injustae videntur, tanquam inutiles per omnia, & instabiles habeantur. Quaecumque autem veterum liberalitate Imperatorum, atque decessorum nostrorum munimentis in saepedicta ecclesia collocata, vel stabilita sunt, rata omnibus modis, & perhenniter mansura. Nam quia plurimis oppressionum nequitiis eadem ecclesia laesa videtur, concedimus ibidem quatuor esse advocatores unde vel quales prudentiores episcopus sibi elegerit utiliter exigentes causam ecclesiae. Ita videlicet, ut nullus ex his causam ipsius ecclesiae, absente episcopo agere pertemptet, & nihil amplius exigere, nisi quantum legis ratio dictaverit. Volumus etiam, ut advocatores de jam nominata ecclesia nullam hostilem exerceant expeditionem sine suo episcopo, etsi ipsi, aut ceteri, qui commendati sunt episcopo, & in ejus obsequio degere videntur, si in pu-

publico placito in compositione ad reipublicae, vel nostrae Imperialis partem ceciderit nullus . . . . tollere praesumat, quia pro nostrae animae mercede ad partem jam dictae ecclesiae donamus, atque concedimus. His autem, qui in rebus ecclesiae resident, praecipimus, ut nullus exactor rei publicae pignorare, aut ad placita convocare . . . . aliquas ab eis exigere praesumat, quia volumus, ut in judicio Legatorum nostrorum stent, quos specialiter ad eorum audiendas causas direximus . . . . oppressione, plurima detrimenta pati audivimus homines saepe dictae ecclesiae. Praecipimus etiam, ut Sacerdotes in eadem ecclesia commanentes, si canonicam obedientiam exercere non liceret, & subtractas a baptismalibus ecclesiis decimas recipere praesumpserint, & ad synodalem conventum convenire contempserint, ab episcopo ejusdem ecclesiae excommunicentur, & a nemine recipiantur. Concedimus etiam, & perpetua confirmatione sancimus, ut unusquisque homo ad baptismales ecclesias decimas det, in quibus habitare videtur, vel Curtes, aut res habere dignoscitur. Si quis autem, quod non putamus, ex Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Gastaldionibus, vel aliquae partis publicae officialibus, seu etiam aliquis ex Clero, vel ex plebeis aliquam supra taxato sancto, ac venerando loco violentiam, subtractionem, vel invasionem intulerit in rebus mobilibus, & immobilibus, vel familiis utriusque sexus, tanquam Imperialis praecepti temerarius violator, ducentas libras auri obrizi eidem Ecclesiae, vel ipsius Rectoribus componere cogatur, & omne quod auferre conatur, & vindicare non valet. Insuper etiam immunitatis poena triginta libras argenti sancto Episcopo persolvere cogatur. Similiter volumus, ut quicunque post hanc nostram Imperialem praeceptionem inutiles scriptiones, & nocivos libellos, quos pro Dei amore, no-

nostraeque animae remedio funditus extinximus, retinuerit, & ipsos praesentialiter saepedicto reverendo Petro Episcopo non reddiderit, & nec ei, nec suis successoribus aliqua maneat contrarietatis suspicio, bannum, & immunitatem per se districtus tanquam rebellis, nostrique praecepti transgressor componere cogatur. Quod ut verius credatur, & diligentius ab omnibus observetur, manu propria roborantes, anulo nostro subter insigniri jussimus.

Signum Domni  Ottonis serenissimi Caesaris.

Ambrosius Cancellarius ad vicem Luberti Episcopi, & Archicancellarii recognovi, &c.

Data IIII. non. Decembris anno Dominicae Incarnationis DCCCCLXVII. Imperii vero Domni Ottonis piissimi Caesaris V. indictione X. Actum in Castro quod dicitur Vado in Comitatu Pisense feliciter. Amen.

N O T A.

HOc *diplomate suppletur Ughellus, qui in tomo primo Italiae sacrae col.* * 336. *non reperit mentionem factam hujus Petri episcopi Volaterrani ante annum* DCCCCLXXI.

IV.

IV.

DIPLOMA GRIMOALDI I.
Principis Beneventani.

Ex autographo Casinensi. Ad pag. 97.

IN nomine Domini Dei Salvatoris Jhesu Christi. Nos vir gloriosissimus [1] Grimoaldus Dei providen- 1
tia Beneventane provincie Princeps motus omnipotentis Dei . . . . & pro redemtione anime nostre & suggerente gloriose P . . . . . . Dauferigasto fideli nostro concedimus in Monasterio beate Dei genitricis Marie, que vocatur Cengla, [2] ubi Ansilenda Abbatissa 2
preest, omnes Curtes & territoria, servos & ancillas, scriptiones, seu precepta cum omnibus suis continentiis, ut securiter amodo & in perpetuum omnia possideat, & nullum censum in dationem quocunque adveniente tempore parti reipublice vel cuicunque persone persolbat, & nullus Princeps, Dux, Marchio, Comes, Castaldeus, Iudex, Sculdahis, magna seu parba persona, aliquid exinde invadere aut minuere presumat, & nulla iudicialia nec fiscalia quispiam . . . . habere in ereditates ac serbos, seu liberos homines, qui in rebus predicti Cenobii habitat pro diversis suis locis, ut non dent nec censum nec dationem nec escaticum, nec siliquatticum, nec paraticum cuicunque persone pro parte rei publice & nec ad vigiliam civitatis, nec ad judicium invitis seu sponte ante cujuscunque persona adcedant nisi ante Abbatissa seu prepositos, vel qui habeis sunt ordi . . . . . eidem sancti Cenobii, ut semper jam phatus Cenobius Abbatissa vel prepositus seu sanctimoni . . . . . . ejus omnibusque sibi subjectis absque omni datione publica perma-

permaneat in perpetuum. Si quis autem, quod abbſit, hanc noſtram conceſſionem in qualibet parte disrumpere temptaberit, centum . . . bras auri puriſſimi predicti Cenobii ſe compoſiturum ſciat. Quod . . . . . . preceptum conceſſionis ex iuſſione ſupraſcripte poteſtatis ſcripſi ego Leo notarius. Actum in Curte Papalatii Venebentani quinto anno, menſe auguſto, tertia indictione feliciter.

Ex ipſo originali Langobardico cum naevis exſcripſit vir eruditus Eraſmus a Cajeta, Archivo Caſinenſi praefectus.

NOTAE.

1 GRimoaldus *hic Princeps Beneventanus fuit filius Arichis, qui ex Anonymo Salernitano ad calcem epitaphii ejusdem Arichis per popularem noſtrum Paullum Diaconum conſcripti apud Camillum Peregrinum in hiſtoria Principum Langobardorum pag.* 236. *diem obiit anno* DCCLXXXVII. XII. *kal. Auguſtas: quod etiam conſtat ex Annalibus chronico Nibelungi ſubjectis apud Ducheſnium tomo altero pag.* 23. *Fuit Grimoaldus hujus nominis primus inter Principes Beneventanos, ſi vero a Ducibus numeremus, ejusdem nominis quartus. Neque in dominatu Beneventano patri ſucceſſiſſe videtur ante annum* DCCXC. *ut eruitur ex notis chronologicis hujuſce diplomatis, nempe* quinto anno, menſe Auguſto, tertia indictione: *quae notae anno* DCCXCV. *reſpondent, licet Cointius ſub anno* DCCLXXXVIII. *num.*VII. *id tunc accidiſſe conjecerit. Angelus a Nuce in notis ad Leonem Oſtienſem capite* XVIII. *in fine numeri* 629. *ex Regeſto Petri Diaconi hanc ſubſcriptionem recitat cujusdam praecepti ejusdem Grimoaldi*: Actum Beneventi in ſacratiſſimo Palatio, nono anno Principatus, menſe ſecundo, quinta indictione, *nempe anno* DCCXCVII. *cui indicio quincta reſpondet, ſed non annus nonus, ſi epochae*

chae ab omni erroris suspicione alienissimae autographi nostri diplomatis adhaereamus; quod cum ipsis characterum ductibus exscriptum, immo depictum nobis exhibitum fuit. Sed quaedam utriusque epochae explicatio occurrit, quam tamen veluti conjecturam proponimus. Erchempertus Paulli Diaconi Continuator n. IV. *pag.* 27. *apud Peregrinum, scribit, mortuo Arichi, Grimoaldum, qui obses erat apud Carolum Magnum, per Beneventanos magnates in patris successorem flagitatum. Carolus annuit, sed nonnisi gravissimis quibusdam pactis, nempe, ut* Langobardorum mentum tonderi faceret, chartasque, nummosque sui nominis characteribus superscribi semper juberet. ac muros Salerni, Acherentiae, & Consiae funditus everteret: *quibus aliquandiu Grimoaldus paruit; sed postmodum ea* pro nihilo duxit observanda, mox rebellionis jurgium excitavit. *Quare fieri potuit, ut duplex epocha in ejus Instrumentis servata fuerit; altera a tempore, quo Arichi successit; altera ab illo, quo omni jugo excusso, sui juris omnino esse coepit. Certe Anonymus apud Peregrinum pagina* 261. *ait Grimoaldum regnavisse annos* XVIII. *qui ab Anonymo Salernitano pag.* 237. *dicitur objisse anno* DCCCVI. *unde patet initium duci ab anno* DCCLXXXVIII. *Duplex autem antiquitus fuit dynastia Beneventana, Ducum, & Principum. Prima a Zottone ad Arichim. Altera vero exordium duxit ab Arichi, qui fuit Dux & primus Princeps Beneventanus, ut videre est in Chronicis a Peregrino vulgatis. Deinde ex diviso Beneventano Principatu exorti sunt Principes Salerni, tum ex detruncato Salernitano enati Principes Capuae, omnes origine Langobardi.*

2 Cengla. *Monasterii sanctae Mariae in Cingla saepius meminit Leo Ostiensis, ut in capite* XII. XLIX. *&* LI.

Quum nuncium ad nos fuerit perlatum de nova editione operum Alcuini in Galliis adornanda post distracta exemplaria prioris illius, quam curaverat Andreas Quercetanus sive Duchesnius; nos quoque in id symbolam conferre decrevimus vulgando epistolam nondum editam Alcuini ad Eanbaldum II. Eboracensem archiepiscopum, a rei diplomaticae stilo minime abhorrentem, & non uno titulo insignem; quam cum naevis fideliter exscriptam nobiscum humanissime communicavit V. C. Josephus Maria Thomasius, a nobis alibi laudatus, atque ob reconditam sacrae antiquitatis peritiam ubique laudandus. Eidem epistolae subjecimus notas Abbatis Dominici Passionei, rerum ecclesiasticarum studiis mirifice dediti, qui nobis auctor fuit hujusce qualiscunque operis conscribendi.

V.

EPISTOLA ALCUINI

1 ad Eanbaldum Archiepiscopum.

Ex cod. bibliothecae sancti Benedicti Cantabrigiensis scripto ante septingentos circiter annos.

ECce kariſſime fili omnia per Deum habes, quae sperare potuit homo, etiam & plus quam nostra * pravitas sperare auderet. Modò verò viriliter fac, & fortiter opus domini quod habes in manibus perfice ad mercedem animae nostrae, & ad salutem multarum animarum. Non cesset lingua tua in praedicando. non pes tuus in circumjendo gregem sibi commissum. non manus tua à laborando ut elemosinae fiant. & sancta Dei ubique exaltetur ecclesia. Esto forma salutis omnium. in te sit solacium * mis versationis sanctissimae. in te sit solacium miserorum. in te confortatio dubitantium. in te disciplinae rigor. in te veritatis fiducia. in te totius bonitatis spes. Non te seculi pompa exaltet, non ciborum luxus enervet. Non vestimentorum vanitas

* f. parvitas

* conversationis

tas

